SACRA RITUUM CONGREGATIONE

Emo, ed Rmo Domino

CARD. ODESCALCHO

RELATORE

NUCERINA PAGANORUM

CANONIZATIONIS

B. ALPHONSI MARIÆ

DE LIGORIO

Fundatoris Congregationis SS. Redemptoris
ac olim Episcopi S. Agathae Gothorum

POSITIO

SUPER VALIDITATE PROCESSUUM
SUPER NOVIS MIRACULIS

ROMÆ MDCCCXXVII.

Typis Reverendæ Cameræ Apostolicæ

NUCERINA PAGANORUM

Canonizationis

B. ALPHONSI MARIÆ

DE LIGORIO

Fundatoris Congregationis SS̃mi Redemptoris ac olim Episcopi S. Agathae Gothorum.

INFORMATIO

SUPER DUBIO

An constet de validitate Processuum Apostolica Auctoritate constructorum in Civitatibus et Dioecesibus Catacensi et Calliensi super Miraculis post indultam eidem Beato venerationem, ac testes sint rite et recte examinati in casu et ad effectum de quo agitur?

Em̃e, et Rm̃e Domine

1. Quod in Urbanianis Decretis sancitum est post indultam ab Apostolica Sede Dei Famulis Venerationem novam esse signandam Commissionem, qua facultas fiat construendi Inquisitiones super novis Miracolis, id in Causa B. ALPHONSI MARIAE DE LIGORIO factum ex Summarii tabulis *num.* 2. EE. Purpurati PP. intelligent. Nam Sa: Me: Pius VII. ex S. hujus Congregationis consulto *die* 18. *Martii* 1818. novam hanc Commissionem propria manu signavit. Hoc aditu facto cum D. O. M. post Sacrum hunc Antistitem in Beatorum album relatum dignatus sit nova eaque plura miracula eo intercedente patrare, et præsertim in Civitatibus atque Diœcesibus Catacensi et Calliensi, vigilantissimus Causæ Postulator *P. Joseph M. Mautone* Literas Remissoriales ad construendum in utraque Diœcesi

Processum a Sacratissimo Principe LEONE PP. XII. postulavit, obtinuitque *Sum. cit. num.* 2. Harum igitur Inquisitionum validitatem approbandam EE. Vestris exhibemus sine interventu Consultorum ex facultate facta *Sum. num.* 1., illud nobis ultro pollicentes Vos pro summa, qua polletis, sapientia et justitia præinserto dubio *affirmative* responsuros, prout ejusdem Postulatoris nomine humiles, devotique precamur.

De Processu Apostolico Catacensi.

2. Hujus Processus validitatem ut perspectam cognitamque habeant PP. EE., exactam Actorum seriem exponendam aggredimur. Concessis, expeditisque Literis Remissorialibus, quarum tenor legitur in *Summ. n.* 2. directis Rmo Episcopo Catacensi ejusque Vicario Generali nec non quatuor Dignitatibus seu Canonicis Ecclesiæ Cathedralis Catacensis ab eodem Episcopo eligendis et nominandis, iisdemque Literis ad Catacensem Urbem perventis die 25. Septembris 1826. R. P. Joseph Maria Volpe Presbyter Congregationis SSmi Redemptoris Causæque Postulator Substitutus a Rmo P. Josepho M. Mautone comparuit coram Episcopo, ejusque Vicario Generali eisdemque exhibuit tum Chiropraphum Mandati Procuræ quod legitur in *Summ. num.* 3. tum Plicos Litterarum Remissorialium; et R. P. D. Promotoris Fidei, petiitque debitæ exequutioni mandari. Huic petitioni annuens Rmus Episcopus præsente Curiæ Fiscali D. Joanne Baptista De Riso juxta facultates in externa Litterarum inscriptione sibi delegatas nominavit deputavitque in Conjudices quatuor Dignitates seu Canonicos Ecclesiæ Cathedralis Cathacensis. Hi statim acciti injunctum munus libenter acceptarunt, eisque exhibitum Remissorialium Plicum una cum Rmo Episcopo, ejusque Vicario Generali prorsus intactum, nullaque in parte vitiatum declararunt. Quamobrem consentiente Fiscali; illum aperiri, perque Notarium perlegi jusserunt. Aperto Plico, traditoque Fiscali Interrogatoriorum fasciculo in earumdem Remissorialium Plico incluso, Sigilloque obsignato, neque aperiendo nisi in actu examinis Testium, Notarius Judicum mandatis obtemperans Remissorialium tenorem clara, et intelligibili voce perlegit. Vix finita lectura Delegati Judices sese iterum promptos paratosque ad exequenda Apostolica mandata obtulerunt, et sibi delegatam jurisdictionem tum omnes conjunctim, tum separatim singuli solemniter acceptarunt, atque omnium primus Rmus Episcopus tacto pectore, deinde Conjudices unus post alium tactis Evangeliis juramentum de munere fideliter adimplendo, deque secreto servando præstiterunt.

3. Hisce præhabitis Causæ Postulator Delegatis Judicibus Fiscali præsente, alium Plicum eidem Promotori Fiscali Catacensi a R. P. D. Promotore Fidei directum exhibuit, quem cum intactum Judices declarassent vi facultatis in exteriori inscriptione tributæ deputarunt atque elegerunt in alium Sub-Promotorem Fidei D. Gregorium De Fiore. Hic statim accitus una cum Pro-

Promotore Fiscali acceptato munere, ambo sese promptos paratosque obtulere. Hinc Judices eumdem Plicum aperiri, et tenorem perlegi Notario mandarunt. Audito tenore utrisque Sub-Promotoribus mandarunt ab unoquoque eorum juramentum præstari de fideliter exercendo munere;prout separatim ambo præstitere. Mox eisdem interrogatoriorum plicum clausum, ut erat, tradidere, nonnisi in examine testium aperiendum. Deinde ad conficienda Processus acta eligerunt D. Ignatium Agusto Notarium Ecclesiasticum, qui de electione monitus, Tabellionatus Privilegio exhibito, de Judicum mandato iuramenti religione promisit munus fideliter impleturum et secretum religiose servaturum. Elegerunt præterea Judices nuncios seu cursores ad exequendas Citationes Clericos duos, scilicet acolytum Didacum Luca, et clericum Aloysium Ricca, qui pariter accersiti ad fideliter exequendum munus se juramento obstrinxere. Destinati post hæc a Judicibus dies, horæ,atque locus Sacer pro Testium examinibus recipiendis,servata facultate variandi quoties libuisset. Relaxata denique Citatione contra Sub-Promotores ad dicendum contra Jura, et Articulos in Remissorialibus insertos, Judicum mandato Notarius qui de hactenus gestis sese rogaverat, eadem acta Actuario consignavit. Patent hæc a *Proc. fol.* 8. *ad* 54. *ter.*

4 Interea alter ex Judicibus Apopletico morbo correptus e vivis excessit. Instante propterea Postulatore, Rmus Catacensis Episcopus alium Cathedralis Canonicum in defuncti locum suffecit. Hic de electione monitus coram eodem Episcopo ceterisque Conjudicibus acceptato munere Literarum Remissorialium tenorem sibi a Notario perlectum audivit, sibique delegatam jurisdictionem reverenter acceptans suetum præstitit juramentum. Quo facto, causæ Postulator induxit in testes omnes in exhibita notula descriptos, petiitque contra eosdem relaxari Citationes ad jurandum, reservata sibi facultate alios inducendi si opus fuerit, non se tamen adstringens ad superfluæ probationis onus. Ambo tunc sub-Promotores protestati fuere non esse ad testium examen procedendum, nisi prius a Postulatore calumniæ juramento præstito, neque eosdem testes super articulis examinandos, nisi prius responsa dederint ad Interrogatoria, quæ ipsi in examinis actu producere intendebant et nisi denique eorum altero vel citato, vel intimato præsente. Protestationi inhærentes Judices Postulatori mandarunt, ut de calumnia juraret, quemadmodum ipse religiosissime præstitit. Relaxatis denique Citationibus contra Testes et sub-Promotores, sese omnes tum Judices, tum Sub-Promotores, tum Notarius subscripsere.

5 Citationibus tam contra testes ad jurandum, quam sub Promotores ad interessendum exequutis, reproductisque, iidem Judices delegati sub-Promotoribus præsentibus, unicuique ex testibus juramentum de veritate dicenda, servandoque secreto separatim detulerunt.

6 Adveniente die a Judicibus decreta, et tam sub-Promotoribus quam alteri ex inductis Testibus intimata, coram eisdem de-

 le-

legatis Judicibus in loco Sacro deventum fuit ad primi Testis examen. Tunc propterea primum aperto Interrogatoriorum plico juxta eadem interrogatus Testis, deinde super articulis requisitus reiterato juramento respondit. Absoluto autem examine integram depositionem sibi perlectam præfatus testis ratam habuit, confirmavitque *Proc. fol.* 77.

7 Absoluto primi testis examine, deventum fuit ad examen aliorum, quos numero decem et septem Postulator induxerat, servatis omnibus singulisque tam a comuni jure, quam a Remissorialibus literis præscriptis, prout in *Proc. fol.* 72. *ad* 175. Completo omnium ejusmodi Testium examine Postulator declaravit se alios inducendos non habere, instititque propterea ut publicaretur Processus. Obstitere sub-Promotores protestati prius examinandos contestes a testibus inductos, eorumque notulam Judicibus exhibuere qui illorum examen decernentes, opportunam Citationem actuario mandarunt. Hi revera citati separatim de veritate dicenda, secretoque servando jurarunt, ut in Testium Tabella *Summ. num.* 4. Quoniam vero aliqui ex contestibus e vivis excesserant, diligens Postulator emortuales attestationes Judicibus exhibuit in Actis insertas *Proc. fol.* 178. *ad* 198.

8 Expletis Contestium Examinibus iterum institere sub-Promotores alios præterea duos Testes ex officio vocandos, qui ab eisdem nominati Judicum decreto citati fuere. Designata die ambo sistentes suetum juramentum præstitere, deindeque separatim subierunt examen *Proc. fol.* 193. *ad* 198.

9. Quum examinatis jam Testibus omnibus tam a Postulatore inductis, quam a Judicibus ex officio vocatis, nil reliquum superesset, quam ut publicaretur Processus; id Postulator petiit. Ne tamen Judices petitioni annnerent protestati sunt Sub-Promotores, nisi prius Periti duo eligerentur, qui præsentem Sanatæ valetudinis perseverantiam inspicerent, juratique referrent. Ita decrevere Judices qui ad præfatam peragendam recognitionem nominarunt, et elegerunt Medicos Physicos Dominos Matthæum Alfi, et Bernardinum Lamannis, eosque pro die 22. Novembris monendos jusserunt. Citatus revera eorum quisque de veritate dicenda sese juramenti vinculo obstrinxit. Mox mandatis obtemperantes Sanatæ valetudinem ab ipsis separatim recognitam Judicibus retulere *Proces. fol.* 204. *ad* 206. *ter.*

10. Tunc ad iteratam Postulatoris instantiam Processus acta Judices publicarunt et ad conficiendum exemplum Romam mittendum Scriptorem deputarunt, cui de fideliter exercendo munere juramentum detulere; Deinde ad conferendum exemplum cum authographo Processu Notarium ut ajunt adjunctum nominarunt D. Aloysium Larassa ab Actuario monendum postquam completum fuisset exemplar; Atque interea una cum actis R. P. D. Promotoris Interrogatoriorum Plicum Sigillo solutum ad exemplandum Scriptori dedere *Proc. fol.* 207. *ad* 220.

11. Aderat jam dies secunda Januarii anni 1827. cum Scriptor originalia acta restituit, eorumque exemplum exhibuit; quamobrem

brem accitus Notarius in adjunctum electus, de fideliter exercendo munere præstitit juramentum. Tunc coram Judicibus, Sub-Promotoribus interessentibus, a Notariis incæpta fuit exempli collatio cum originalibus actis, pluribusque successivis Sessionibus ad complementum adducta. Quamobrem ambo Notarii de exempli concordantia cum originali testati sunt, eamdemque rem Delegati Judices Sub-Promotoribus annuentibus declararunt. *Proc. fol.225. et seqq.*

12. Subscriptum tandem sigillisque munitum in exteriori parte transumpto, quum datum non fuerit reperire, qui illum Romam transferret, diligentissimi Judices acciri mandarunt Regii Epistolarum officii Directorem, eique juramentum detulere de fideliter mittendo ad Urbem plicum per publicum Tabellionem, quod cum ille jurasset deque consignatione Actuarius Instrumentum confecisset legen. *Proc. fol.1. et seqq.* Originalia acta in Episcopali Archivio reponenda Judices demandarunt.

De Processu Calliensi.

13. Cum Deus Opt. Maximus dignatus fuerit patrare Miraculum favore Fr. Petri Canali Laici Inclytæ atque lectissimæ Congregationis Camaldulensium in Monasterio celebris Abbatiæ Fontis Avellanæ, vigilantissimus Causæ Postulator P. Joseph M. Mautone suum esse duxit Sacratissimum Principem Leonem XII. supplicem adire, ut per S. R. Congregationem dignaretur concedere Remissoriales Literas ad construendum de eodem Miraculo Processu in Civitate et Diœcesi Calliensi. *Summ. num. 7.* Ilisce Callium transmissis R. D. Sacerdos Modestus Antonius Selli a præfato P. Iosepho Maria Mautone in Postulatorem Substitutus *Sum. num. 9.* earumdem Literarum Plicum exhibuit Rmo D. Carolo Monti Calliensi Episcopo, ab eoque humillime eflagitavit, ut ad earumdem exequutionem devenire dignaretur. Eo quo decet obsequio Sacer ille Antistes ejusque Vicarius Generalis prædictum Sacræ Congregationis Literarum Plicum receperunt. Indicta proinde Sessione habenda die 1. Martii 1826. Citationem relaxarunt contra Promotorem Fiscalem Episcopalis Curiæ ad interessendum electioni aliorum Conjudicum ab eodem Rmo Episcopo faciendæ vigore facultatis in externa Remissorialium inscriptione eidem tributæ.

14. Adveniente prædicta die 1. Martii, et iterum Postulatore instante pro Remissorialium exequutione, Rmus Episcopus Calliensis utendo facultatibus a Sac. Rituum Congregatione tributis, elegit in Conjudices et Coodelegatos Rmos DD. Præpositum Dominicum Benincasa, Franciscum Bufalini, Angelum Federici, et Aloysium Valcelli Dignitates et respective Canonicos Cathedralis Calliensis. Hi statim acciti, deque deputatione moniti munus et jurisdictionem sibi a Sacra Rituum Congregatione delegatam acceptarunt. Quapropter præsente Promotore Fiscali Remissorialium plicum intactum, nullaque in parte vitiatum declararunt, jusseruntque Cancellario ut illum aperiret, ejusque tenorem perlegeret. Aperto plico introclusus inventus est alter

 In-

Interrogatoriorum, quem intactum Judices relinquendum jusserunt nonnisi in Testium examine aperiendum. Mox per Cancellarium Remissorialium tenore alta et intelligibili voce perlecto iidem Judices jurisdictionem sibi delegatam solemniter acceptarunt; Singulique separatim de munere fideliter implendo, secretoque servando jurarunt. *Proc. f. 6. ter. ad 24.*

15 Praestitis a Judicibus juramentis Postulator coram eisdem sistens alterum exhibuit Plicum Litterarum R. P. D. Promotoris Fidei ad Promotorem Fiscalem Calliensis Curiæ, quas R. P. D. Promotor Fidei tum ad eumdem Fiscalem, quam ad alium Sub-Promotorem a Judicibus eligendum miserat. Recepto hujusmodi Plico, eoque declarato illaeso Delegati Judices elegerunt in alium Sub-Promotorem *P.* Antonium Mariam Vitali Priorem Cœnobii S. Jo: Bapt. Ordinis Praedicatorum, qui statim accersitus, deque sua deputatione certior effectus una cum Comite Illmo D. Camillo Felici Promotore Fiscali munus obsequenter acceptavit. Solutis deinde eisdem Literis, ejusque tenore perlecto ambobus Sub Promotoribus traditus fuit Interrogatoriorum Plicus nonnisi in testium examine aperiendus. Deinde ambo iidem Sub-Promotores separatim de munere fideliter adimplendo, secretoque religiose servando juramentum praestitere. Elegerunt praeterea Judices in Actuarium D. Benvenutum Grassi Episcopalem Cancellarium, qui exhibitis sui Notariatus Patentalibus Literis ad S. Dei Evangelia munus fideliter expleturum, secretumque religiose servaturum jurejurando promisit. Post haec iidem Judices eligerunt in Cursorem D. Laurentium Monacelli, qui vocatus ad fideliter exercendum munus se juramenti religione obstrinxit. Hisce expletis Delegati Judices locum ad audiendos testes, eorumque excipienda juramenta deputarunt Episcopalis Palatii Capellam, et a Sessiones habendas dies omnes praeterquam in Dei et Sanctorum honorem de praecepto feriatos, reservata sibi facultate variandi locum et horas. Relaxata demum Citatione contra Sub Promotores ad interessendum futurae Sessioni, iidem Judices, iidemque Sub-Promotores se subscripsere. *Proc. fol. 24. ad 40.*

16 Die 16. Junii, quae habendae Sessioni fuerat a Judicibus praestituta se coram Judicibus Postulator sistitit, petiitque examinari testes, quorum proinde Notulam exhibuit, nec non Positiones et Articulos in Remissorialibus Literis inclusos, perque *S.* Rituum Congregationem una cum Remissorialibus transmissos produxit, repetiitque. Protestati tamen Sub-Promotores fuere, non esse ad testium examen procedendum, nisi prius R. D. Modestus Antonius Selli Postulator de calumnia in forma juraret, et nisi prius ab eisdem productis Interrogatoriis super quibus rogarentur testes, et Judices Decretum edidere protestationi conforme. Quamobrem Postulator Calumniae juramentum emisit. Tunc Judices petitam citationem contra testes ad jurandum admisere. Citati igitur Testes coram Judicibus tactis SS. Evangeliis de veritate di-

cen-

cenda, servandoque secreto de more jurarunt. Non uno quidem, eodemque die, sed juxta illorum adventus opportunitatem. Separatim tandem unusquisque reiterato juramento testimonium dixit; quemadmodum Tabella docet *Sum. num.* 11. *et Proc. fol.* 46. *ad* 181.

17 Absoluto examine Testis V. declaravit Causae Procurator haud alios habere Testes examinandos, petiitque propterea publicari Processum. Obstitit tamen Sub-Promotor, a Judicibus petens quosdam examinandos Contestes Pisauri degentes. Id tamen fieri non posse Postulator exposuit quia nemo ex iis nominatis Contestibus tum propter gravem aetatem, tum propter malum valetudinem sese itineri committere valebat, suamque assertionem legitimis documentis probavit, quæ Judicibus reverenter exhibuit. His a Judicibus attente recognitis nec reluctante Sub-Promotore, decrevere satis constare de illorum Contestium impotentia ad arripiendum iter. Tunc Postulator alias exhibuit attestationes tam a Defunctis testibus quam ab aliis ad accedendum impeditis jam factas coram antecessore Calliensi Antistite docto Viro Alphonso Cingari, quas Judices, Sub-Promotore annuente, una cum documentis obitus aliorum testium authenticas declararunt *Proc. fol.* 181. *ad* 184.

18 Examinatis jam Testibus a Postulatore inductis iterum is Actorum publicationem petiit. Protestatur tamen Sub-Promotor Fidei, ne id fieret nisi postquam alii Testes ex officio vocandi testimonium dixissent. Nominarunt propterea Parochos duos probatissimos qui in Testium Tabella sunt ordine VI. et VII. Annuere instantiæ Indices eosque citari mandarunt, iique revera coram Judicibus sistentes suetum juramentum separatim emiserunt. Absolutis tandem eorum quoque examinibus, jam tertio Postulatore instante, Acta publici juris esse declararunt, Notarioque jusserunt ut R. P. D. Promotoris Interrogatoria ad Sessionis calcem registraret. Ad Processus vero conficiendum exemplum in Amanuensem deputarunt D. Andream Alessandri Episcopalis Curiæ Vice-Cancellarium, cui post præstitum juramentum de munere religiose adimplendo traditum fuit Processus authographum. Ad conferendum autem postea exemplar cum originali, elegerunt in Notarium Adjunctum D. Josephum Cerri *Proc. fol.* 184. *ad* 250.

19 Interea jam a Mense elapsus fuerat terminus a Remissorialibus Literis præstitutus, et licet nil reliquum superesset, expletis jam Actis, quem eadem cum Transumpto conferre; nihilominus Postulator diligentissimus P. Joseph Maria Mautone Summum Pontificem pro eodem prorogando termino supplex adivit, quam Clementissimus Princeps Leo XII. ad alios tres Menses ampliavit a die præsentationis Decreti inchoandos *Proc. fol.* 251. *ter. et seq.*

20 Aderat jam dies 25. Maii 1827. cum Scriptor a se confectum exemplar exhibuit. Qua de re Judices accitum jam electum Notarium Adjunctum jusserunt de fideliter adimplendo munere jurare. Præstito ab eodem juramento coram eisdem Judicibus

bus Sub Promotore præsente, incoepta fuit a Notariis Actorum collatio, et repetitis Sessionibus ad finem adducta. Tunc Judices in Portitorem eligerunt R. P. Sebastianum Percibalie Presbyterum Congregationis SSmi Redemptoris, qui jurisjurandi vinculo de fideliter Romam transferendo Transumpto suam fidem obstrinxit. Appositis propterea a singulis Judicibus ad ejusdem Transumpti calcem subscriptionibus Sigillisque rite ab Actuario recognitis, clausus fuit Transumpti plicus et Portitori traditus *Proc. fol.* 276. *et Proc. fol.* 1, *ad* 3.

De Processu Romæ constructo additionali Calliensi

21 Cum inter Testes Miraculi a D. O. M. patrati favore Fr. Petri Canali Laici Congregationis Camaldulensis in Monasterio Fontis Avellanae fuerit etiam Rmus P. Abbas Venantius Carmassi eo tempore illius Monasterii Abbas, modo vero Romæ degens, Hinc Rmus P. Joseph M. Mautone Causæ Postulator SSmo D. N. LEONI PP. XII supplices preces porrexit ut dignaretur facultatem impertiri R. P. D. Promotori Fidei ejusque Sub-Promotori examinandi prælatum P. Abbatem, et Contestes si qui ab eo forte inducerentur, absque Juris solemnis per ActaCancellarii S. Congregationis cum eisdem Articulis et Interrogatoriis jam datis pro construendo Processu Calliensi. Itaque cum Clementissimus Princeps precibus annuisset *Summar. Num.* 14. idem Postulator die 29. Januarii 1827. R. P. D. Promotori Fidei, cujus Sub-Promotore præsente et Cancellario, ejusmodi Indulti Decretum exhibuit, ab eoque petiit, ut in ejus exequutionem, laudati Abbatis examen reciperet. Inspecto Decreto, illud Judex annuente Sub-Promore integrum declaravit, et tributam sibi jurisdictionem solemniter acceptavit. Mox Postulator suae Procurae mandatum exhibuit, cujus exemplar habetur in *Summ. num.* 9. Quamobrem eidem Judex Calumniae juramentum detulit, qui postea eumdem P. Abbatem Venantium Carmassi in testem inducens Positiones et Articulos produxit pro Calliensi Processu exhibitos. Hos Judex admittens jussit moneri Testem, ut in Sessione in crastinum habenda coram se juramentum præstaret *Proc. fol.* 1, *ad* 14.

22 Adveniente Sessionis die coram Judice se sistit P. Abbas Carmassi, qui ejus mandato juramentum praestitit de veritate dicenda secretoque servando. Tunc Postulatore dimisso, et a Sub-Promotore traditis Interrogatoriis alias datis pro construendo Calliensi Processu, inceptum fuit ejusdem Abbatis examen duplicique Sessione absolutum. Quo facto cum Interrogatoria eadem forent, super quibus adhuc Callii examinabantur Testes super eodem Miraculo, ideo R. P. D. Promotor licet jam completum Processum declarasset, jussit tamen clausum retinendum in Actis Cancellariae S. Congregationis, donec memoratus Calliensis Processus transmissus fuisset ad Urbem. Eo propterea Romam pervento, hujus etiam additionalis Processus Copia Postulatoribus facta.

Ha

23. Hactenus narrata gestorum historia eorum Validitatem, et ad juris formam receptum Testium examen apertissime) ostendit. Nemo enim eorum nisi inductus citatus juratusque testimonium dixit; ceu *Testium Tabella* docet. Compertum denique exploratumque est quod expleto sive suspenso cujuslibet ex memoratis Testibus examine clausa semper fuere tum Interrogatoria, tum testimonia, ipsæque Sessiones tum Judicum, tum Sub-Promotoris et Actuarii subscriptione firmatæ; ceu liquet ex locis opportune hac in Informatione laudatis; adeo ut nec legitima Actorum constructio, nec rituale Testium examen revocari in dubium jure ullo possit.

24. Hæc cum ita se habuerint, quemadmodum summa hactenus fide veritateque exposuimus, nihil est aliud præterea reliquum, nisi ut Vos, Patres Emi, cum Rmo P. *Joseph Maria Maulone* Causæ Postulatore diligentissimo humilis supplexque orem et obtester, ut Processus de quorum Validitate quæritur, quibusque nihil deest ad absolutam illam, maximamque perfectionem, vestra Sapientia clarissimaque luce dignissimam, validos declaretis concordesque definiatis; Quod quidem futurum non modo speramus atque etiam confidimus, sed nobis facile persuademus.

Quare etc.

Hyacinthus Amicius Adv.

Angelus Picchioni

REVISA

A. Gardellini Sub-Promotor Fidei.

NUCERINA PAGANORUM

CANONIZATIONIS

B. ALPHONSI MARIÆ

DE LIGORIO

Fundatoris Congregationis SSmi Redemptoris ac olim Episcopi S. Agathae Gothorum.

SUMMARIUM

SUPER DUBIO

An constet de validitate Processuum Apostolica Auctoritate constructorum tam in Civitatibus et Diœcesibus Catacensi et Calliensi quam in Urbe super Miraculis post indultum eidem B. Venerationem; ac testes sint rite, et recte examinati in casu, et ad effectum de quo agitur?

NUCERINA PAGANORUM

Canonizationis

B. ALPHONSI MARIÆ DE LIGORIO

Fundatoris Congregationis Sanctissimi Redemptoris, ac olim Episcopi S. Agathæ Gothorum

Num. 1.
Facultas discutiendi praesens Dubium absque interventu Consultorum

Quum post relatum in Beatorum Album Beatum Alphonsum Mariam De Ligorio Congregationis SSmi Redemptoris Fundatorem, ac olim S. Agathæ Gothorum Episcopum Deus Optimus Maximus dignatus fuerit nova Miracula eo intercedente patrare in Civitatibus et Diœcesibus tum Catacensi, tum Calliensi, super quibus constructi fuere Apostolica Auctoritate Processus, iique in Sacrorum Rituum Congregationis Actis exhibiti, propterea R. P. Joseph Maria Mautone recensitæ Congregationis Sacerdos et Procurator Generalis, Causæque antedictæ

 Po-

Postulator SSmum Dnum Nostrum Leonem XII. Pont. Max. humillime exoravit, ut facultatem impertiri dignatetur proponendi Dubium Validitatis, eorumdem Processuum in Sacrorum Rituum Congregatione Ordinaria, absque tamen Consultorum interventu. Sanctitas Sua ad mei infrascripti Sacrorum Rituum Congregationis Secretarii relationem, benigne annuit juxta preces. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 18. Julii 1827.

Pro Emo Dno Card. De Somalia Præfecto

J. F. Card. Falzacappa

Loco ✠ Sigilli

J. G. Fatati S. R. C. Secretarius

Num. 2.
Literæ Remissoriales pro construendo Processu in Civitate et Diœcesi Catacensi.
Proc. fol. 26. ter.

De Processu
Auctoritate Apostolica constructo in Civitate et Dioecesi Catacensi Anno 1826.

Julius Maria Cardinalis Episcopus Ostiensis et Velitrensis, Della Somaglia Sacri Collegii Decanus, S. R. E. Vice-Cancellarius, SSmi Dni Nostri Leonis PP. XII. Status a Secretis, SS. Rituum Congregationi Præfectus etc. etc. etc:

Rmo Episcopo Catacensi Ejusque Vicario Generali, et quatuor Dignitatibus seu Canonicis illius Ecclesiæ Cathedralis ab eodem Reverendissimo Episcopo eligendis et nominandis Judicibus per SSmum Dnum Nostrum Leonem PP. XII. Sacramque Rituum Congregationem et Nos, uti Præfectum antedictum Delegatis ad effectum construendi in Civitate et Diœcesi Catacensi Processum Apostolicum super asserto Miraculo a D. O. M. patrato favore Mulieris Antoniæ Tarzia Fazzari Civitatis Catacensis in utriusque Siciliæ Regno intercedente Beato Alphonso Maria De Ligorio Fundatore Congregationis SSmi Redemptoris ac olim Episcopi S. Agathæ Gothorum post indultam eidem ab Apostolica Sede Venerationem cum clausula tamen quod Rmus Episcopus Catacensis cum suo Vicario Generali vel altera ex Dignitatibus seu Canonicis Ecclesiæ Cathedralis, vel Vicarius Generalis cum duabus ex dictis Dignitatibus seu Canonicis, vel utroque impedito ipsæ quatuor Dignitates seu Canonici singulis Processus Actis ac Sessionibus conjunctim semper et non divisim intersint, ac assistant, et cum facultate alium, vel alios in casu mortis vel impedimenti a Rmo eodem Episcopo substituendi, et subrogandi Salutem in Domino, et in commissis obedientiam ac Nostris hujusmodi imo verius Apostolicis firmiter obedire mandatis. Noverit Amplitudo Tua Rma Episcope Catacen. Vosque illius Vicari Generalis et quatuor Dignitates seu Canonici Cathedralis Ecclesiæ Cathacensis ut supra eligendi et nominandi noveritis quod expletis die decimaquinta Septembris millesimi octingentesimi decimisexti in Vaticana Basilica Solemniis Beatificationis tunc Ve-

§. 1.
Beatificationis Solemnia.

ne-

nerabilis Servi Dei modo Beati Alphonsi Mariæ De Ligorio in Congregatione Ordinaria Sacrorum Rituum habita die Vigesimaoctava Februarii Millesimi Octingentesimi decimi octavi ad relationem cl: me: Cardinalis Caracciolo tunc Causæ antedictæ Relatoris propositum fuit dubium pro Signatura Commissionis reassumptionis Causæ dicti B. Alphonsi Mariæ De Ligorio in statu et terminis, in quibus illa reperiebatur ad effectum procedendi ad ulteriora in Causa illius Canonizationis, et Sacra eadem Congregatio rescribendum censuerit dictam Commissionem signari posse si Sanctissimo visum fuerit, prout ex Decreto eadem die facto, et a SSmo adprobato, ad quod condigna habeatur relatio, ut patet ex originali Commissione Manu Sa: Me: Pii PP. VII. signata, et in Actis Cancellariæ ejusdem S. Congregationis præsentata die 18 Martii 1818. sub sequenti tenore videlicet = Nucerina Paganorum = Bme Pater = Postquam Venerabilis Dei Famulus Alphonsus Maria De Ligorio Fundator Congregationis Ssmi Redemptoris ac olim Episcopi S. Agathae Gothorum Kalendis Augusti Millesimi Septingentesimi Octuagesimi septimi in Collegio Nucerino Paganorum ad optatos Christi amplexus feliciter evolaverat, constructis in Diœcesibus Nucerinæ Paganorum, et S. Agathæ Gothorum Inquisitionibus super illius sanctitate vitæ, et miraculis Sa: Me. Pius PP. VI. die 2. Decembris 1795 delegavit Congregationi Particulari SS. Rituum Cl: Me. Cardinalium Archinto, Livizzari, et Rinuccini, necnon RR. PP. Hieronymi Napulioni Promotoris Fidei, et Dominici Coppola Secretarii examen nonnullarum variationum, quæ Servo Dei adhuc in humanis agente evenisse asscrebantur in Regula Congregationis ab ipso instituta, cum facultate imponendi prædicto obstativo perpetuum silentium, si Servi Dei innocentiam plene probatam invenerint, et die 9. Martii 1796 ejusdem Congregationis rescriptum de Servi Dei innocentia adprobavit, perpetuumque huic obstativo silentium imposuit. Prævia inde discussione Processuum Auctoritate Ordinaria constructorum, eorumque relatione facta in Congregationem SS. Rituum habita 30. Aprilis 1796 per cl: me: Cardinalem Archintum in Causæ Relatorem jam electum die 9. Julii 1794 idem Pontifex illius Beatificationis et Canonizationis Causam per Commissionem propria manu signatam die 4. Maii 1796 SS. Rituum Congregationi inquirendam examinandam commisit. Concessis postea Literis Remissorialibus eadem die et anno ad inchoandos tum in Diœcesi Nucerinæ Paganorum, tum in alia S. Agathæ Gothorum per Delegatos Judices Processus Apostolicos super Virtutibus et Miraculis in specie decretum fuit die 20. Septembris Anni 1797. constare de Cultu Ven: Dei Famulo numquam exhibito, eademque die per Remissoriales Literas commissa fuit Delegatis Judi-

§. 2. *Commissio Reassumptionis Causæ.*

dicibus Nucerinæ Paganorum Inquisitio Apostolica super fama sanctitatis in genere. Verum cum Causæ cursus illius temporis vicissitudine fuerit interceptus, idem Pontifex Pius Sextus suo rescripto Florentiæ dato die Septima Decembris anni 1798. iisdem Delegatis Judicibus potestatem fecit post absolutam Inquisitionem de fama sanctitatis in genere examinandi omnes et quoscumque Testes, recognoscendi Dei Famuli Cadaver, et absolvendi Processum Apostolicum in utraque Diœcesi Nucerina, et Agathensi super Virtutibus et Miraculis in specie, illumque in Episcopali Archivio reponendi, donec eum exemplandi facultatem Apostolica Sedes fuisset impertita. Reddita inde Ecclesiæ tranquillitate, discussa, adprobataque fuit die 27 Martii 1802 annuente Sanctitate Vestra die 3 Aprilis ejusdem anni, validitas et relevantia Processus super fama sanctitatis in genere. Exemplatis interea binis Processibus Apostolicis in Diœcesibus Nucerina et Agathensi super Virtutibus et Miraculis in specie ex Apostolico indulto dato 5 Aprilis 1802. et Theologico jam examini de more subjectis tum operibus typis impressis, tum manuscriptis Ven: Servi Dei, rescriptum fuit a Sacra Rituum Congregatione die 14 Maii 1802 procedi posse ad ulteriora, quod quidem responsum die 18 ejusdem Mensis Sanctitas Vestra adprobavit, indulta propterea dispensatione die 25 Junii 1803 proponendi Dubium de Virtutibus licet a Ven. Servi Dei obitu quinquaginta anni nondum essent elapsi, et adprobata primum a SS. Rituum Congregatione die 17. Septembris præfati anni, inde a Sanctitate Vestra die 24 illius Mensis validitate Apostolicarum Inquisitionum institutum fuit Virtutum examen. Hinc cum post consuetas Congregationes Antipræparatoriam habitam die 10 Junii 1806 coram Rmo Cardinali Caracciolo jam die 6 Martii 1802 defuncto Cardinali Archinto a Sanctitate Vestra in Causae Relatorem suffecto, Praeparatoriam habitam in Palatio Apostolico Quirinali die 17 Februarii anni 1807, ac tandem Generalem coram Sanctitate Vestra convocatam quarto Kalendas Maii 1807 eadem Sanctitas Vestra Nonis Maii ejusdem anni de heroicis Ven. Servi Dei virtutibus in gradu heroico constare decrevit. Quamobrem eadem Sanctitas Vestra decimoquinto Kalendas Octobris 1815. de duobus Miraculis in secundo genere constare dixit, postquam illa discussa fuerant in triplici Congregatione, prima nempe cogenda Septimo Kalend. Octobris 1809 sed impedita ob temporis difficultatem Consultorum conventum traditis in scriptis suffragiis Rmo Card. Michaeli De Petro Delegato Apost. altera habita in Palatio Apost. Quirinali Pridie Kalendas Martii 1815., ac tertia ibidem convocata Nona Septembris ejusdem anni. Hisce absolutis sequutaque postmodum Decimosecundo Kalendas Januarii 1815 declaratione Beatificationis quandocumque in Basili-

lica Vaticana peragendae, Sanctitas Vestra per Literas in forma Brevis expeditas die 6 Septembris 1816 indulsit, concessitque, ut praedictus Dei Famulus Alphonsus Maria De Ligorio imposterum Beati nomine nuncupari posset cum aliis indultis, et clausulis consuetis, quarum tenorem placeat Sanctitati Vestrae hic habere pro inserto. In quarum Literarum exequutionem die 15 Septembris 1816 in praedicta Basilica Vaticana Beatificationis Solemnia expleta tandem fuere. Cum vero fama Sanctitatis ejusdem Beati Alphonsi Mariae De Ligorio una cum Populorum devotione, cultu, et veneratione, necnon Miraculorum frequentia, quae post Beatificationis indultum Deus Opt. Max. ejus meritis et intercessione operari dignatus est, et in dies operatur, adeo aucta sit, et magis magisque augetur in dies, ut plurimorum etiam gravissimorum Virorum existimatione dignus censeatur Supremo Canonizationis honore, ad quem quantocius ab Apostolica Sede juxta Canonicas sanctiones, et S. R. E. ritum promoveatur, inde moti, piaque intentione a peculiari erga dictum Beatum devotione ducti Serenissimus Ferdinandus Utriusque Siciliae Rex, Serenissimus Carolus Emmanuel quartus Sardiniae Rex, Rmi Cardinales Ruffo Archiepiscopus Neapolitanus, Spinucci Archiepiscopus Beneventanus, Severoli Episcopus Viterbiensis et Tuscanensis, Caraffa Episcoporum et Regularium Negociis Praefectus, nec non Archiepiscopus Beryti ejusdem Congregationis Secretarius, Archiepiscopus Salernitanus, Archiepiscopus Philippensis Urbis Vicesgerens, Episcopus Eugubinus, Episcopus Verulanus, Vicarius Capitularis Nuceriae Paganorum, Vicarius Capitularis S. Agathae Gothorum, Pro-Vicarius Generalis Canonicus Decanus Maraharchae in Dalmatia, Rector major totius Congregationis Ssmi Redemptoris, aliaeque personae graves, et authenticae, Sanctitati Vestrae enixe supplicantur, ut ad eiusdem Beati Canonizationem procedere benigne dignaretur. Verum quia juxta decreta sa: me: Urbani Octavi, et recentiora ejusdem mem: Clementis XI. pro habenda certiori veritate sanctitatis et miraculorum Servi Dei, pro cujus Canonizatione instatur, prius fieri debet Summo Pontifici plena, et distincta relatio eorum, quae Cultus concessionem praecesserunt, et quae intuitu ipsius Venerationis quomodolibet elargita fuerunt, ea vero, quae post dictam Venerationem indultam quomodolibet supervenerunt, debeant per juridicas probationes discuti, ut ex eis constare possit, num Sedes Apostolica tuto valeat ad solemnem Canonizationem devenire, propterea cum in Congregatione SS. Rituum habita die 28 Februarii 1818. per Rmum Cardinalem Matthaejum Sacri Collegii Decanum loco Cardinalis Caracciolo Relatoris absentis facta sit relatio status, omniumque hactenus in Causa gestorum: pro parte Sanctitatis Vestrae Oratoris P. Vincen-

cen-

centii Antonii Giattini Procuratoris Generalis Congregationis Ssmi Redemptoris Causaeque Postulatoris humillime supplicatur, quatenus dignetur Causam Canonizationis dicti Beati Alphonsi Mariae De Ligorio in statu, et terminis in quibus reperitur una cum omnibus et singulis inciden. dependen. emergen. adnexis et connexis quibuscumque; confirmando quatenus opus sit in Ponentem seu Relatorem Rm̃um Cardinalem Caracciolo jam deputatum eidem Congregationi committere et mandare cum facultate ut constare possit de iis, quæ supervenerunt post præfatum Beatificationis Indultum, poteruntque quomodolibet, et qualitercumque contingere, et alium bonum effectum et finem Causæ magis proficuum, Literas Remissoriales et Compulsoriales super præmissis citato R. P. Promotore Fidei ad quascumque Mundi partes decernendi, et relaxandi, necnon etiam in Curia jura, et documenta recipiendi, et si opus fuerit testes in Urbe per Rm̃um Cardinalem, S. V. Vicarium, sive per Episcopos ab eo deputandos examinari faciendi prævia Citatione, et cum interventu ejusdem R. P. Promotoris vel ejus Sub-Promotoris juxta Interrogatoria ab eo danda, et super Articulis in Actis exhibendis, ut ipsis noviter probandis legitime prius discussis, postmodum ad formam supradictorum Decretorum post aliam plenam et distinctam relationem Sanctitati Vestræ faciendam non modo eorum, quæ Cultus concessionem præcesserunt, et intuitu Venerationis dicto Beato Alphonso Mariæ quomodolibet elargita fuerunt, verum etiam earum, quæ in novis Informationibus, seu Processibus ut supra construendis supervenisse, seu quomodolibet probata fuisse constabit, eadem S. V. cognoscere possit an Causa sit in statu, et juxta Canonicas sanctiones, et S. R. E. ritum ad Solemnem dicti B. Alphonsi Mariæ Canonizationem deveniri possit, et valeat cum potestate citandi, et inhibendi quos, quibus, quoties, ubi, et quando opus fuerit, etiam sub censuris etc. et per Edictum etc. constito etc. ceteraque omnia, et singula in præmissis, et circa ea quomodolibet necessaria, et opportuna faciendi, dicendi, gerendi, exercendi, exequendi usque ad ultimum, et finale complementum prædictæ Causæ Canonizationis, servata tamen in omnibus, et singulis forma supradictorum Decretorum, aliorumque novissime ab eadem Sacra Rituum Congregatione editorum non obstantibus Constitutionibus etiam Universalibus, Synodalibus Conciliis editis, atque aliis ordinationibus Apostolicis, Regulis Cancellariæ, Stylo Palatii et Curiæ, ceterisque contrariis quibuscumque statum etc. tenores etc. pro plene, et sufficienter expressis haben. = *Placet G. B.* =

§. 3.
Signatura novæ Commissionis ad Canonizationem facta a Sa. Me. Pii VII.

Deinde vero cum Altissimus dignatus fuerit post indultam dicto Beato Venerationem patrare Miraculum ad ejusdem assertam intercessionem in personam Mulieris Antoniæ Tarzia Fazzari Civitatis Catacensis in utriusque Siciliæ

ciliæ Regno; idcirco P. D. Joseph Maria Mautone Presbyter ejusdem Congregationis, ac recensitæ Causæ Postulator, cupiens super eodem asserto Miraculo necessarias recipi probationes SSmo Domino Nostro LEONI PP. XII. Pont. Max. humillime supplicaverit, ut concedere dignaretur Literas Remissoriales dirigendas Vobis Judicibus, et Sanctitas Sua benigne concesserit easdem Remissoriales Literas dirigendas Vobis ut supra Delegatis Judicibus cum superius expressa clausula, aliisque omnibus facultatibus necessariis, et opportunis ad sex menses a die præsentationis dictarum Literarum Remissorialium Vobis Delegatis Judicibus faciendæ duraturis, prout ex Decreto Sanctitatis Suæ facto *die* 5. *Julii* 1826., quod ita se habet=Nuceriua Paganorum=Canonizationis B. Alphonsi Mariæ De Ligorio Congregationis SSmi Redemptoris Institutoris, ac olim Episcopi S. Agathæ Gothorum = Alterum novumque Miraculum favore Mulieris Antoniæ Tarzia Fazzari Civitatis Catacensis in utriusque Siciliæ Regno a Deo Optimo Maximo patratum fuisse narratur intercedente B. Alphonso Maria De Ligorio Institutore Congregation s SSmi Redemptoris ac olim Episcopi S. Agathæ Gothorum post indultam eidem ab Apostolica Sede Venerationem, Atque ut hujus juridicæ probationes per Testium examen desumi, et consuetam in formam redigi valeant humillimas SSmo D.N. Leoni XII. Pont. Max. preces porrexit P.D.Joseph Maria Mautone Presbyter ejusdem Congregationis, ac recensitæ Causæ Postulator, Remissoriales et Compulsoriales Literas S.R.C. expostulans ad effectum construendi super asserto Miraculo Apostolica Auctoritate Processum in supradicta Civitate et Diæcesi Catacensi, dirigendas Rmo Catacensi Episcopo ejusque Generali Vicario, et quatuor Dignitatibus seu Canonicis illius Ecclesiæ Cathedralis, ab eodem Rmo Episcopo eligendis, et nominandis. Sanctitas Sua ad mei infrascripti SS. Rituum Congregationis Secretarii relationem benigne suprascriptas Remissoriales Literas concessit cum clausula tamen quod Rmus Episcopus Catacensis cum suo Vicario Generali, vel altera ex Dignitatibus seu Canonicis Ecclesiæ Cathedralis, vel Vicarius Generalis cum duabus ex dictis Dignitatibus seu Canonicis, vel utroque impedito ipsæ quatuor Dignitates seu Canonici singulis Processus Actis ac Sessionibus, conjunctim semper, et non divisim intersint, et assistant, et cum facultate alium, vel alios in casu mortis, vel impedimenti ab Rmo eodem Episcopo substituendi, et subrogandi, præfinitoque sex mensium termino a die præsentationis earumdem Literarum computando ad præscriptum Processum absolvendum, cumque omnibus aliis facultatibus necessariis et opportunis in hujusmodi Literis apponi solitis et consuetis. Die 5. Julii 1826. = Julius Maria Card. De Somalia Episcopus Ostien. et Veliternen. S. E. Vice-Cancellarius et SS. Rituum Congregationi Præfectus = Loco ✠ Sigilli = I. G. Fa-

§. 4. *Decretum SS. D.N. pro construendo Processu sup. Mirac. in Civit. et Diæces. Cathacensi.*

§. 5. *Clausula, qua procedere debent Judices.*

§. 6. *Præstitutus Terminus.*

a. 7. *Citatio R. P. D. Promotoris*

Fatati S. R. C. Secretarius Coadjutor. Citato igitur coram Nobis R. P. D. Virgilio Pescetelli S. Fidei Promotore primò ad dicendum contra dictam Commissionem præfatumque Decretum, et successive contra Positiones seu Articulos in Actis facto datos, quorum Copia sibi transmissa fuit, ad effectum super illis Auctoritate Apostolica examinandi Testes in Civitate et Diæcesi Catacen., et construendi Processum super dicto asserto Miraculo in specie ut supra patrato, videndum illas et illos ad probandum admitti, Testes ut supra inducendos mandari examinari, ac decerni, et relaxari Literas Remissoriales in antedicta Civitate et Diæcesi exequendas, Vobisque Judicibus ut supra Delegatis cum superius expressa clausula, et facultatibus intra terminum sex mensium procedentibus dirigendas ad formam Decreti SSmi D. N. Papæ, concordandum de Judicibus antedictis termino, et locis, locorumque locis et Portitore, constituendumque aliquem seu aliquos Fidei Sub-Promotorem seu Sub-Promotores per Acta infrascripti Cancellarii, qui in dicta Civitate, et Diæcesi Catacensi comode citari possint, et examinibus Testium, ac Processui antedicto intersint, dandum Interrogatoria in iisdem Literis includenda, alias videndum mandari procedi per affixionem ad valvas Ecclesiæ Cathedralis Catacensis vel majoris loci intra Diæcesim, deputandi testes examinari, Literasque Remissoriales expediri, claudi, et sigillari absque dictis Interrogatoriis, et Decretum quodcumque desuper necessarium, et opportunum fieri, et interponi ad infrascriptam diem, qua adveniente, ac in dictæ Citationis termino comparuit in judicio dictus P. D. Joseph Maria Mantone Postulator prout in Actis constitutus, et facto produxit Positiones seu Articulos in calce præsentium registrandos, petiitque, et institit illas et illos ad probandum admitti, Testes ut supra inducendos mandari examinari, ac decerni et relaxari Literas Remissoriales in Civitate, et Diæcesi Catacen infra terminum sex mensium ut supra inchoandorum exequendas, et dirigendas Amplitudini Tuæ Rmo Episcopo Catacensi, Vobisque illius Vicario Generali, et quatuor Dignitatibus seu Canonicis Ecclesiæ Cathedralis Catacensis ab eadem Amplitudine Tua nominandis et cligendis cum antedicta clausula, ut vel Amplitudo Tua Rma Episcope Catacensis cum Tuo Generali Vicario vel altera ex Dignitatibus seu Canonicis Ecclesiæ Cathedralis, vel Vicarius Generalis cum duabus ex dictis Dignitatibus seu Canonicis, vel utroque impedito ipsæ quatuor Dignitates seu Canonici singulis Processus Actis ac Sessionibus conjunctim semper et non divisim intersint, et assistant, et cum facultate alium vel alios in casu mortis vel impedimenti a Rmo eodem Episcopo substituendi, et subrogandi; prout in dicta Citatione habetur, et latius infra dicetur. Nosque Cardinalis De Somalia Sacræ Rituum Con-

Congregationis Præfectus earumdem Commissionis, et postremi Decreti formam exequendo easdem Positiones et Articulos ad probandum admisimus Testes desuper inducendos examinari mandavimus in dicta Civitate et Diœcesi Catacen. infra terminum sex mensium ut supra inchoandorum præfatasque Literas Remissoriales super dicto novo asserto Miraculo Vobis ut supra Delegatis Judicibus cum superius expressa clausula dirigendas decrevimus, et relaxavimus, ac expediri, claudi, et sigillari mandavimus cum omnibus et singulis facultatibus necessariis et opportunis. Pro loco vero loci, seu locis locorum in eadem Civitate, et Diœcesi Catacen. locum et loca per Vos Judices Delegatos et ut supra procedentes eligenda, Portitoremque pro harum Literarum adsportatione deputavimus et aliis prout in Actis infrascripti Cancellarii dictæ Sacræ Congregationis, injungendo tamen juxta dispositionem novissimorum Decretorum ejusdem Sacræ Congregationis quod ante inchoationem Processus vigore præsentium Literarum Remissorialium conficiendi per Vos Judices ut supra Delegatos juramentum præstetur in Processum omnino registrandum sequenti forma in iisdem Decretis præscripta videlicet = Ego N. N. (exprimendo nomen et cognomen) tacto pectore quoad Rmum Episcopum Catacen., quoad vero Vicarium Generalem, et quatuor Dignitates seu Canonicos Ecclesiæ Cathedralis Catacensis ut supra nominandos et eligendos tactis Sacrosanctis Dei Evangeliis coram me positis juro et promitto fideliter adimplere munus mihi commissum circa fabricationem Processus Apostolici in Causa Canonizationis Beati Alphonsi Mariæ De Ligorio Fundatoris Congregationis SSmi Redemptoris ac olim Episcopi S. Agathæ Gothorum juxta formam Decretorum Sacræ Rituum Congregationis, et præcipue novissimorum quæ confirmata fuerunt a Ven. Servo Dei Innocentio PP. XI., nec non juro, et promitto religiose servare secretum tam de contentis in Interrogatoriis, quam de Testium depositionibus super iisdem, et super Articulis, nec de iis loqui cum aliqua persona, exceptis aliis Judicibus, Sub-Promotoribus et Notario pro eodem Processu deputatis sub pœna perjurii et excomunicationis latæ sententiæ, a qua nonnisi a Summo Pontifice (excluso etiam Majori Pœnitentiario) præterquam in mortis articulo absolvi possim et ita promitto et juro, sic me Deus adjuvet = subjungendo Vos Vicarie Generalis, et quatuor Dignitates seu Canonici antedicti = et hæc Sancta ejus Evangelia. Quocirca Vos Judices modo quo supra Delegatos, de quorum integritate, zelo religionis, perpetuaque, ac debita erga S. Sedem Apostolicam obedientia plurimum in Domino eadem S. Congregatio confidit, et Nos quoque confidimus, requirimus et monemus, eisdemque etiam Apostolica, qua dicta Sacra Congregatio, et Nos in hac parte fungimur, ejusdem Sa-

§. 8. *Productio Articulorum.*

§. 9. *Juramenti formula.*

cræ Congregationis Ordinaria Auctoritatibus, committimus, et mandamus, ut amplitudo Tua Reverendissima Episcope Catacensis cum tuo Vicario Generali, vel altera ex Dignitatibus, seu Canonicis Ecclesiæ Cathedralis, vel utroque impedito, ipsæ quatuor Dignitates, seu Canonici vel Vicarius Generalis cum duabus ex dictis Dignitatibus, seu canonicis, vel utroque impedito ipsæ quatuor Dignitates seuCanonici in singulisProcessusActis ac Sessionibus conjunctim semper, et non divisim intersint, et assistant, et cum facultate alium vel alios in casu mortis vel impedimenti ab Rmo eodem Episcopo substituendi, et subrogandi, ac non alias aliter nec alio modo vice ejusdem Sacræ Congregationis, et Nostra in singulis Actis respective procedentes ac pro Tribunali sedentes intra dictum Sex mensium terminum ut supra inchoandum omnes et singulos testes, scripturas, jura, et alia quæcumque probationum genera, qui, et quæ coram iisdem Judicibus præsentium exequutoribus in dicta Civitate, et Diœcesi Catacen induci, produci, et exhiberi contigerit a personis legitima mandata Procuræ habentibus recipiant, et admittant, et primo juxta Interrogatoria per dictum R. P. D. Fidei Promotorem data, et præsentibus Nostris adjuncta clausa et sigillata non aperienda nisi coram iisdem præsentium Literarum Judicibus exequutoribus in actu examinis denuoque claudenda, et obsignanda eorumdem Sigillis in fine cujuslibet Sessionis examinis Testium prout simili modo claudi, et obsignari debebunt ipsorum testium depositiones, (exprimendo, et adnotando singillatim in eodem Processu Actus aperitionis et clausuræ hujusmodi) sicque clausa, et obsignata cum eisdem Testium depositionibus retinenda usque ad totalem absolutionem Processus[,] et deinde super dictis Positionibus et Articulis in Ecclesiis Oratoriis, Piisque locis, et in loco cujuslibet ex dictis locis, et quoad Infirmos, aut alias legitime impeditos in aliis quibuscumque locis per eosdem Judices exequutores deputandis et semper exprimendis tam in Citationibus contra eosdem Testes et Fidei SubPromotorem seu Sub Promotores a dicto R. P. D. Promotore Fidei nominatos seu nominandos exequendis, quam in juramentis ab iisdem Testibus præstandis et examinibus ab eis faciendis, Testes ipsos omnes, et singulos diligenter examinent, recepto tamen prius in manibus Judicum præsentium Literarum exequutorum ab iisdem Testibus cujuscumque status, gradus conditionis et sexus existant, etiam Sacerdotibus tactis Sacrosanctis Dei Evangeliis, et non alias etc. juramento non solum de veritate dicenda de iis super quibus examinabuntur, verum etiam de servando secretum sub poena excommunicationis ipso facto incurrendæ in casu contraventionis juxta sequentem formulam in dictis novissimis Decretis præscriptam videlicet = Ego N. N. (exprimendo nomen et Cognomen) tactis Sacrosanctis Dei Evangeliis coram me positis jure et promitto dicere veritatem tam super Inter-

§. 10. *Interrogatoria data a R. P. D. Promotore.*

rogatoriis, quam super Articulis, super quibus examinabor, nec non servare secretum, nec alicui penitus revelare tam contenta in iisdem Interrogatoriis, quam responsiones, & depositiones a me faciendas sub poena perjurii, et excomunicationis latæ sententiæ, a qua nonnisi a Summo Pontifice (excluso etiam Majori Poenitentiario præterquam in mortis articulo absolvi possim, et ita promitto et juro sic me Deus adjuvet, et hæc Sancta ejus Evangelia. Absoluto vero examine Testium a Procuratore Causæ inductorum, alios Testes de dicto asserto miraculo bene conscios ab iisdem Judicibus præsentium executoribus ex officio prout in dictis novissimis Decretis disponitur inducendos pari modo examinent juxta Interrogatoria dicti R. P. D. Promotoris Fidei, et prævio juramento veritatis dicendæ, e secreti servandi ab eis juxta relatam formulam præstando in actu examinis, eademque testium juramenta, nec non depositiones et dicta recipiant et in scriptis redigi faciant per fide dignum Notarium Apostolica, sive Ecclesiastica Auctoritate creatum per eosdem Judices præsentium exequutores deputandum, dummodo tamen non sit ex Congregatione SSmi Redemptoris cujus B. Alphonsus Maria de Ligorio dum vixit fuit Fundator, etiamsi privilegiis Prothonotariorum Apostolicorum, et aliis quibuscumque quantumvis amplissimis pro rebus, et materiis suæ Congregationis scribendis et actitandis suffultus existat sub poena nullitatis Processus eo ipso absque alia declaratione incurrenda: qui Notarius in manibus dictorum Judicum tactis SS. Dei Evangeliis de fideliter officium suum exercendo præstet pariter juramentum in Processu omnino registrandum juxta formulam super hoc dictis Judicibus traditam, mutatis tamen mutandis, animadvertendo præfati Judices, quod Testes nequaquam se referant ad attestationes alias redditas, neque illis recitentur ea, quæ alias ipsi deposuerunt, sed, quæcumque habent explanate, et per extensum deponant, sicuti etiam Delegati Judices, qui Testium, et Contestium examinibus intererunt, sedulo, diligenterque curare debebunt ne testes ad Articulos respondentes generice se expediant, ajendo vera esse quæ in Articulis, sive Articulo continentur, nam quidquid sciunt, debent clare explanate deponere cum omnibus, et singulis circumstantiis, quæ iisdem de visu, vel de auditu, vel alio quocumque modo notæ sunt etiamsi eaedem illæ sint, quæ in Articulo, vel Articulis ponuntur, et non alias aliter, vel alio modo. Cetera vero Processus Acta, aliasque Scripturas, et Jura ut præfertur exhibenda in loco solitæ Audientiæ dictorum Judicium, seu alio ab eis destinando recipiant. Si vero Testes prædicti sese examini subjicere distulerint, seu recusaverint, Testes ipsos ad sese examini subjiciendum sub censuris et poenis Canonicis, jurisque, et facti remediis opportunis, omni, et

§. 11. *Testus ex officio examinandi.*

 qua-

quacumque appellatione postposita cogant atque compellant, atque prædicta omnia, et singula liberius exequutioni mandari possint, Nuncium, seu Nuncios, Cursorem seu Cursores pro Citationibus, aliisque Mandatis exequendis (recepto prius ab eis juramento de fideliter officium exercendo) similiter deputent. Completo vero Processu eorumdem Testium depositiones, et dicta, nec non Citationes, Acta, et actitata quæcumque, omniaque jura producta fideliter transcribi, et transumptari, et coram iisdem Judicibus præsentium exequutoribus adhibito alio Notario Apostolico, sive Ecclesiastico (dummodo non sint ex prædicta Congregatione SSmi Redemptoris, cujus B. Alphonsus Maria De Ligorio dum vixit fuit Fundator) qui pariter Notarius juramentum præstet de fideliter officium suum exercendo, ut de alio Notario ad Causam deputando dictum est, transcriptionem, et transumptum hujusmodi cum suis originalibus auscultari, collationari, ac concordari faciant, ac proinde eamdem transcriptionem et transumptum ab eisdem Judicibus exequutoribus subscriptum ab eisdem Judicibus exequutoribus subscriptum eorumque Sigillis ab ibtra munitum, ac in publicam; authenticamque formam redactum cum subsequenti Attestatione Notarii Actuarii super recognitione subscriptionum, et Sigillorum dictorum Judicum describenda etiam formam, et qualitatem dictorum Sigillorum cum legalitate in fine seu attestatione Amplitudinis Tuæ Reverendissimæ Episcope Catacen sigillo roborata ab intra, clausumque etiam ab extra Sigillo tamen Amplitudinis Tuæ Rmæ Episcope Catacen obsignatum, Nuncio, seu Portitori cum juramento, et obligatione de fideliter adsportando ab iisdem Judicibus, a quibus præsentes exequutioni mandabuntur deputando, una cum Instrumento clausuræ, et obsignationis dicti Transumpti, illiusque consignationis dicto Portitori factæ pariter ut supra, clauso, et sigillato tradant, atque consignent, et ad dictam Sacram Congregationem Rituum et nos transmitti, ac adsportari curent, et mandent, Significantes per Literas ipsorum Judicum præsentium exequutorum dictæ Sacræ Congregationi, et Nobis nedum generaliter quae fides Testibus examinatis sit adhibenda, verum etiam particulariter super iis, quae per eosdem testes deposita fuere, et an in deponendo iidem Judices aliquid viderint, seu animadverterint, per quod dictorum Testium, seu alicuius eorum depositio suspecta reddatur. Decernimus tamen, et volumus quod in omnibus Actis coram Judicibus praesentium Literarum exequutoribus, et alia circa praemissa facienda, citetur aliquis ex Sub-Promotoribus per dictum R. P. D. Promotorem Fidei nominandis in Plico suarum Literarum una cum praesentibus transmittendo. Pariterque decernimus irritum, et inane quidquid contra formam praesentium Nostrarum Literarum scienter vel igno-

§. 12. Processus Transumptum mittendum ad S. Rit. Congr.

§. 13. Litteræ conscribendæ a Judicibus.

ra-

ranter fuerit, exequutum, eidemque SSmo Domino Nostro Papae, seu dictae Sacrae Congregationi reservamus absolutionem omnium, et singulorum, qui dictas poenas et Censuras incurrerint. Pro praemissis autem omnibus et singulis exequendis, talem diligentiam, curam, et fidem Vos Judices modo quo supra Delegatos adhibituros speramus, quales gratiam, et benevolentiam ab eadem Sacra Congregatione, et retributionem laboris ab Altissimo valeatis Vobismetipsis comparare. In quorum testimonium praesentes manibus nostra, et infrascriptorum RR. PP. DD. Prothonotarii, et Secretarii dictae Sacrae Congregationis firmatas, Sigilloque nostro munitas per Acta infrascripti Notarii Cancellarii, et Archivistae dictae S. Congregationis jussimus expediri.

Romae ex Aedibus Nostri Anno a Salutifero Virginis Partu Millesimo Octingentesimo Vigesimosexto Indictione Romana Decimaquarta die vero trigesima Julii Pontificatus autem SSmi in Christo Patris et Domini Nostri Leonis Divina Providentia Papae Decimisecundi Anno Tertio.

§. 14. Subscriptiones.

Julius Maria Cardinalis De Somalia Episcopus Ostiensis et Velitrensis etc. Sacrae Congregationi Rituum Praefectus.

Loco ✠ Sigilli

Joseph Ugolini Prothonotarius Apostolicus.

Joseph Gaspar Fatati Sacrae Congregationis Rituum Secretarius Coadjutor.

Philippus Maria Amicus Sacrae Rituum Congregationis Notarius Cancellarius et Archivista.

Num. 3. Mandatum Procurae

Proc. fol. 21. t. r. et seq.

Nos Celestinus Maria Cocle Congregationis SSmi Redemptoris Rector Major,

Dilecto Nobis in Christo Patri Domino D. Josepho Mariae Mautone ejusdem Congregationis Alumno Professo Salutem.

Muneris Nostri ratio expostulat, ut quae ad Majorem Dei gloriam, nostraeque Congregationis decus spectant sedulo promoveamus. Cum itaque Beatus Alphonsus Maria De Ligorio praefatae Congreg. SSmi Redemptoris Fundator, ac olim Episcopus S. Agathae Gothorum plurimis etiam post ejus Solemnem Beatificationem miraculis ubique locorum coruscare non desinit; Cumque Adm. R. P. Vincentius Antonius Giattini ejusdem Nostrae Congregationis, et in hac Causa Canonizationis ejusdem B. Alphonsi Mariae De Ligorio Postulator, causa malae affectae valetudinis officium suum exercere non possit, Te, de cujus prudentia, zelo, ac dexteritate plurimum in Domino confidimus, harum nostrarum Literarum serie Comprocuratorem in eadem Causa Canonizationis praedicti B. Alphonsi Mariae De Ligorio nominamus, eligimus, et deputamus ad comparendum coram Illmis, et Rmis Dominis Episcopis, sive aliis quibuscumque Ordinariis, et Judicibus, et assistendum

dum pro constructione Processus Auctoritate Apostolica super Miraculis in genere, et in specie ejusdem Beati juxta Decreta SS. Rituum Congregationis, cum facultate praestandi juramentum calumniae in animam nostram, nec non comparendi coram Summo Pontifice, E.mo Praefecto, Secretario, Protonotario ejusdem Congregationis SS. Rituum ad petendam aperitionem dictorum Processuum, et faciendi in hac Causa usque ad formalem dicti Beati Canonizationem omnes eas instantias, et Acta, quae pro construendis Processibus Apostolicis, et Remissorialibus tam in genere quam in specie sunt necessaria, et opportuna, quaeque Nos ipsi agere possemus, si personaliter interesse valeremus, etiamsi specialem et individuam requirerent mentionem, ac demum erogandi, ac praestandi omnes, quaslibet expensas, quae pro dicta Causa Canonizationis B. Alphonsi Mariae occurrere possent. Concedimus insuper Tibi facultatem substituendi unum, aut plures, toties quoties tibi placuerit, Substitutos, revocandi, et alium, aut alios substituendi, praesentibus nostris Literis in suo robore et firmitate semper manentibus. Hoc igitur et omni alio meliori modo Sacrum istud negotium fidelitati tuae committimus, ac demandamus, tibique bona omnia a Domino precamur. In quorum fidem has praesentes manu nostra subscripsimus, et consueto Congregationis Sigillo communiri mandavimus. Datum Neapoli ex hoc nostro Collegio S. Antonii ad Tarsiam die Vigesimaseptima Mensis Augusti Anno Millesimo Octingentesimo Vigesimoquinto.

§. 1. *Facultas substituendi.*

Coelestinus Maria Cocle Congregationis SSmi Redemptoris Rector Major.

Loco ✠ Sigilli

Joannes Joseph Sabelli Congregationis SSmi Redemptoris a Secretis.

Praesens Copia extracta et exemplata fuit ex originali Mandato Procurae mihi etc. exhibito et in Actis Cancellariae SS. Rituum Congregationis existens, cum quo per me etc. collatione facta in omnibus et per omnia concordare inveni salvo mihi semper etc. In fidem etc. Datum Romae ex antedicta Cancellaria S. R C. hac die Vigesimanona Julii Millesimi Octingentesimi Vigesimisexti.

Philippus Maria Amicius SS. Rituum Congregationis Notarius Cancellarius et Archivista.

§. 2. *Substitutio Postulatoris pro Civit. Cathacen.*

Utendo facultatibus mihi tributis in suprascripto Chirographo Mandi Procurae, eligo, et substituo in Postulatorem antedictae Causae Canonizationis B. Alphonsi Mariae De Ligorio Congregationis SSmi Redemptoris Fundatoris, ac olim Episcopi S. Agathae Gothorum Adm R. P. Don. Josephum Volpe ejusdem Congregationis SSmi Redemptoris Sacerdotem Professum ac Rectorem Actualem in Civitate Catacen ad effectum dumtaxat conficiendi Processum Apostolicum super novo Miraculo a D. O. M. patrato in perso-

sonam Mulieris Antoniæ Tarzia Fazzari dictæ Civitatis Catacensis in Utriusque Siciliæ Regno ad imploratam intercessionem dicti B. Alphonsi Mariæ De Ligorio construendum in Civitate, et Diaecesi Catacen, eique impertior omnes et singulas facultates mihi, ut supra tributas, ita ut ea omnia peragere ipse possit in constructione dicti Processus, quæ Egomet vigore suprascripti Mandati Procuræ peragerem, ac præsertim facultatem jurandi de calumnia, promittens etc., relevans etc. non solum etc. sed et omni alio meliori modo etc. In fidem etc. Romæ hac die trigesima prima Julii Millesimo Octingentesimo Vigesimosexto.

Joseph Maria Mantone Causæ Postulator substituo, et eligo.

Testor Ego infrascriptus antedictum Admodum Reverendum Patrem Josephum Mariam Mantone Congregationis SSmi Redemptoris Sacerdotem Professum, ac Causæ Canonizationis Beati Alphonsi Mariæ De Ligorio ejusdem Congregationis Fundatoris, ac olim Episcopi S. Agathæ Gothorum Postulatorem in mei præsentia propria manu, et charactere prædictam substitutionem subscripsisse, omniaque, et singula in ea contenta peregisse. In fidem etc. Romæ die et Anno prædictis.

Philippus Maria Amicius Sacræ Rituum Congregationis Notarius Canellarius et Archivista.

Loco ✠ Sigilli

TABELLA TESTIUM

Processus Catacensis

Num. 4. Tabella Testium

Num.	*Nomen, Cognomen, Ætas*	*Inductio*	*Citatio*	*Juramentum*	*Examen*
1	Antonia Tarzia Uxor Emanuelis Fazzari ann. 29 cir.	Die 12. Octobris 1826.	Die 13. Octobris 1826.	Die 14. Octobris 1826.	Die 14. Octobris 1826.
	Proc. fol. 72. ter.	*Pr. f. 82.*	*Pr. f. 70*	*Pr. f. 66. t.*	*Pr. f. 70. t.*
2	Excell. D. Cajetanus Ricca Medicus Physicus ann. 44.	Die dicto	Die dicta	Die dicta	Die dicta
	Proc. fol. 78. ter.	*Pr. f. d.*	*Pr. fol. d*	*Pr. f. 63. t.*	*Pr. fol. 78*

Num.	Nomen, Cognomen Ætas	Inductio	Citatio	Juramentum	Examen
3	Adm. R. D. Vitalianus Provenzano Parochus ann. 51. Proc. fol. 85.	Die 12. Octobris 1826. Pr. fol. 62.	Die 13. Octobris 1826. Pr. f. 70.	Die 14. Octobris 1826. Pr. fol. 65	Die 21. Octobris 1826. Pr. f. 84. t.
4	Antonius Alfi Mercator. Proc. fol. 96. ter.	Die dicta Pr. fol. d.	Die dicta Proc. f. d.	Die dicta Pr. fol. 76.	Die 24. dicti 1826. Pr. fol 96
5	Excell. D. Antonius Caccavari Chirurgus ann. 50. Proc. fol. 106.	Die dicta Pr. f. d.	Die dicta Pr. fol. d.	Die dicta Pr. f. 67. t.	Die 26 dicti 1826 Pr. f. 105 ter.
6	D. Dominicus Tiriolo Scriba ann. 51. Proc. fol. 111. ter.	Die dicta Pr. f. d.	Die dicta Pr. fol. d.	Die dicta Pr. f. 67. t.	Die 27. Octobris 1826 Pr. f. 111.
7	Illma D. Rachael Condò Patritia Catacen. ann. 51. Proc. fol. 118.	Die dicta Pr. fol. d.	Die dicta Pr. fol. d.	Die dicta Pr. f. 64. t.	Die 30. dicti 1826 Pr. f. 117.

Num.	*Nomen, Cognomen Aetas*	*Inductio*	*Citatio*	*Juramentum*	*Examen*
8	Ill. D. Isabella Alfi Textrix ann. 44. *Proc. fol.* 126.	Die 12. Octobris 1826. *Pr. fol.*62.	Die 13. Octobris 1826. *Pr. fol.*70.	Die 14. Octobris 1826. *Pr. fol.*66.	Die 4. Novemb. 1826 *Pr. f.* 125.
9	D. Seraphina Rizzo Virgo Terziaria Septem Dolorum annor. 34. cir. *Proc. fol.* 132.	Die dicta *Pr. fol. d.*	Die dicta *Pr. fol. d.*	Die dicta *Pr. f.*67. *t.*	Die 6. Novemb. 1826 *Pr. f.* 131. *ter.*
10	D. Antonia Fabiani Chiriaco ann. 60. *Proc. fol.* 134.	Die dicta *Pr. fol. d.*	Die dicta *Pr. fol. d.*	Die dicta *Pr. f.*65.*t.*	Die dicta *Pr. f.* 133. *ter.*
11	D. Hiacynta Ruffo Fiocca ann. 60. cir. *Proc. fol.* 138. *ter.*	Die dicta *Pr. fol. d.*	Die dicta *Pr. fol. d.*	Die dicta *Pr. fol.*66.	Die 7. Novemb. 1826 *Pr. f.* 138.
12	D. Rachael Sarro Tiriolo annor. 59. circ. *Proc. fol.* 142.	Die dicta *Pr. fol. d.*	Die dicta *Pr. fol. d.*	Die dicta *Pr. fol.*65.	Die dicta *Pr. f.* 142.

Num.	Nomen Cognomen ætas	Inductio	Citatio	Juramentum	Examen
13	D. Anna Masceri Fazzari Annor. 35. circ. Proc. fol. 147. t.	Die 12 Octobris 1826 Pr. f. 62.	Die 13 Octobris 1826 Pr. f. 70.	Die 14 Octobris 1826 Pr. f. 68.	Die 8. Novemb. 1826. Pr. f. 147.
14	Emanuel Fazzari Agricola Annor. 35 circ. Proc. fol. 153.	Die dicta Pr. f. 62.	Die dicta Pr. f. 70.	Die dicta P. f. 64. t.	Die dicta P. f. 152. t.
15	Catharina Salerno Vidua Tarzia Annor. 62. Proc. fol. 159. t.	Die dicta Pr. f. 62.	Die 13. Octobris 1826. Pr. f. 70.	Die 14. Octobris 1826. P. f. 66. t.	Die 10. Novemb 1826. Pr. f. 159.
16	Rosa Tarzia Scalzo Annor. 36. circ. Proc. fol. 166.	Die dicta Pr. f. 62.	Die dicta Pr. f. 70.	Die dicta Pr. f. 66.	Die 11. Novemb. 1826. P. f. 165. t.
17	Angela Tarzia Lombardo Annor. 32. circ. Proc. fol. 170. t.	Die dicta Pr. f. 62.	Die dicta Pr. f. 70.	Die dicta Pr. f. 67.	Die 14. Novemb. 1826. Pr. f. 170.

Num.	Nomen Cognomen ætas	Inductio	Citatio	Juramentum	Examen
18	D. Mariangela Scorza Curcio Ann. 40. circ. *Proc. fol.* 178.	Die 14. Novemb. 1826. *Pr. f.* 175.	Die 14. Novemb. 1826. *Pr. f.* 181.	Die 15. Novemb. 1826. *Pr. f.* 177.	Die 15. Novemb. 1826. *Pr. f.* 178.
19	D. Catharina Bilotta Virgo annor. 50. *Proc. fol.* 183.	Die dicta *Pr. f.* 175.	Die dicta *P. f.* 181. t.	Die dicta *P. f.* 177. t.	Die 16. Novemb. 1826. *P. f.* 182. t.
20	D. Laura Moroscolo Zampina Annor. 40. circ. *Proc. fol.* 183.	Die dicta *Pr. f.* 175.	Die dicta *Pr. f.* 181.	Die dicta *Pr. f.* 177.	Die dicta *Pr. f.* 185.
21	D. Joannes Salazar Annor. 33. circ. *Proc. fol.* 189.	Die 16. Novemb. 1826. *P. f.* 187. t.	Die 16. Novemb. 1826. *Pr. f.* 192.	Die 17. Novemb. 1826. *Pr. f.* 189.	Die 17. Novemb. 1826. *Pr. f.* 189.
22	Ill. Antonius Papaleo Notarius Annor. 49. *Proc. fol.* 194.	Die 17. Novemb. 1826. *P. f.* 191. t.	Die 17. Novemb. 1826. *Pr. f.* 204.	Die 18. Novemb. 1826. *Pr. f.* 193.	Die 18. Novemb. 1826. *Pr. f.* 193.

Num.	*Nomen Cognomen ætas*	*Inductio*	*Citatio*	*Juramentum*	*Examen*
23	Ill. D. Xaverius D' Amico Annor. 48. *Proc. fol.* 199.	Die 17 Novemb. 1826 *P. f.* 191. t.	Die 17 Novemb. 1826 *Pr. f.* 204.	Die 18 Novemb. 1826. *Pr. f.* 193.	Die 20. Novemb. 1826. *Pr. f.* 198

= *Emi, et Rmi Patres* =

Num. 5.
Literæ RRmorum Judicum ad S. R. Congregationem.

Proc. fol. 2. ter.

Eminentiarum Vestrarum mandatis in confectione Processus super miraculo, quod Deus Optimus Maximus dignatus est in Civitate Catacensi intercessione B. Alphonsi Mariæ de Ligorio Fundatoris Congregationis Sanctissimi Redemptoris, olim Episcopi S. Agathæ Gothorum, eo quo par erat studio, diligentia, sedulitate respondere, satisque facere sategimus si id haud cumulate assequuti fuimus non negligentiæ, sed inusitati negocii naturæ ut tribuatis oramus. Quod testari certo possumus illud est, Testes omnes a Causæ Postulatore inductos, quam Nobis de sanatione ex officio vocatos, morum probitate, integritate, pietate, atque prudentia adeo esse præditos, ut eorum quisque omni exceptione major sit habendus, eorumque depositionibus certam et indubiam fidem in judicio promereri nullatenus sit dubitandum. Quilibet enim ipsorum coram Nobis et DD. Sub-Promotoribus constitutus, nulla mentis dubietate, nullaque animi perplexitate, nullo denique nimiæ affectionis, vel aversionis signo, sed veritatis amore responsiones suas tam juxta Interrogatoria R. P. Promotoris Fidei, quam super Articulis distincte, et fideliter dedit, quin in deponendo aliquod dederint titubationis indicium. Hæc sunt, quæ nobis Emi, et Rmi Patres exponenda duximus. Reliquum superest ut Nos vestro patrocinio fovere, et prosequi dignemini, quemadmodum enixe deprecamur Sacræ Purpuræ fimbriam humillime deosculati.

§. 1.
Fides adhibenda Testibus.

§. 2.
Subscriptiones Judicum.

Eminentiarum Vestrarum Reverendissimarum
Catacen. die nona Januarii Millesimi Octingentesimi Vigesimiseptimi.
Humillimi Addictissimi et Obsequentissimi Famuli
Emanuel Maria Bellorado Episcopus Catacensis
Joachim Cantor Pace Vicarius Generalis
Vitalianus Decanus Spadola
Canonicus Antonius Marincola Tizzano
Canonicus Dominicus Pace
Canonicus Ignatius Cirillo

Illmi

Illmi, et Rme Domine

Num. 6. Epistola Sub-Promotorum ad R. P. D. Promotorem.

Munus quod Nobis dignatus es committere comparendi tua vice et nomine in constructione Processus super Miraculo, quod Deus Opt. Maximus patrari dignatus est in Civitate Catacensi intercessione B. Alphonsi Mariæ De Ligorio Fundatoris Congregationis Sanctissimi Redemptoris, olim Episcopi S. Agathæ Gothorum, ea qua Nobis datum fuit diligentia et religione obire non prætermisimus. Singulis enim Sessionibus nostrum alter semper interfuit; cui religio fuit diligenter animadvertere, atque satagere, ut Sacræ Congregationis Literarum jussa, et Apostolica Decreta debitæ exequutioni mandarentur, testesque nonnisi citati, juratique, prius super Interrogatoriis a Te datis, deinde super Articulis examinarentur. Præter Testes a Postulatore inductos, alios ut mandatis habuimus, ex officio nominavimus, et examinari curavimus. Expletis examinibus Testium, Peritos a Judicibus eligi studuimus, qui Sanatæ presentem valetudinis statum recognoscerent. Te autem certiorem facere debemus Testes omnes in hoc Processu sive a Postulatore, sive a Nobis inductos omni fide dignos haberi, et in eorum examine nihil omnino, quod in re tanti momenti necessarium videbatur, fuisse prætermissum. Si inter hæc aliquid minus accurato gestum reperias, exiguitati ingenii, et experientiæ tribuas, indulgeasque. Hac spe freti, debita veneratione, et obsequio protestamur.

Proc. fol. 3.

§. 1. *Rituale Testium examen.*

§. 2. *Testes omni fide digni.*

Dominationis Tuæ Illmæ, et Rmæ

Catacen. Die Nona Januari Millesimi Octingentesimi Vigesimi septimi

Humillimi obsequentissimi Famuli
Joannes Baptista de Risa
Gregorius De Fiore.

DE PROCESSU CALLIENSI

Constructo ab Anno 1826. ad Annum 1827.

Num. 7. Litteræ Remissoriale S. R. C. expeditæ pro construendo in Civitate Calliensi Processu Apostolico super Miraculo in Causa Beati Alphonsi Mariæ De Ligorio.

Julius Maria Cardinalis Episcopus Ostiensis, et Veliternensis Della Somaglia Sacri Collegii Decanus S. R. E. Vice-Cancellarius, Sanctissimi Domini Nostri Leonis PP. XII. Status a Secretis, Sacrorum Rituum Congregationi Præfectus etc.

Rmo Episcopo Callien Ejusque Generali Vicario, et quatuor Dignitatibus vel Canonicis illius Ecclesiæ Cathedralis ab eodem Reverendissimo Episcopo eligendis, et nominandis Judicibus per Sanctissimum Dominum Nostrum Leonem PP. XII. Sacramque Rituum Congregationem, et Nos uti præsertim antedictum a Legatis ad effectum construendi in Civitate, et Diœcesi Callien. Processum Apo-

sto-

stolicum super asserto Miraculo a Deo patrato intercedente Beato Alphonso Maria de Ligorio Fundatore Congregationis Sanctissimi Redemptoris, ac olim Episcopi Sanctæ Agathæ Gothorum post indultam eidem ab Apostolica Sede Venerationem in personam Fr. Petri Canali Laici in Monasterio S. Crucis Fontis Avellanæ Ordinis S. Benedicti Congregationis Monachorum Camaldulensium, cum clausula tamen. quod Reverendissimus Episcopus Callien.cum suo Generali Vicario vel altera ex Dignitatibus seu Canonicis Ecclesiæ Cathedralis vel eo impedito Vicarius Generalis cum duabus ex dictis Dignitatibus seu Canonicis, utroque vero impedito ipsæ quatuor Dignitates seu Canonici singulis Processus Sessionibus conjunctim semper, et non divisim intersint et assistant cum facultate alium vel alios in casu mortis vel impedimenti substituendi, et subrogandi: Salutem in Domino, et in commissis obedientiam ac nostris hujusmodi imo verius Apostolicis firmiter obedire mandatis. Noverit Amplitudo tua Reverendissima Episcope Callien Vosque illius Vicarie Generalis, et quatuor Dignitates seu Canonici Cathedralis Ecclesiæ Callien., ut supra eligendi et nominandi noveritis quod expletis die 15. Septembris 1816. in Vaticana Basilica Solemniis Beatificationis tunc Ven.Servi Dei modo Beati Alphonsi Mariæ de Ligorio in Congregatione Ordinaria Sacrorum Rituum habita die 28. Februarii 1818. ad relationem cl: me: Card, Caracciolo tunc Causa antcd. Relatoris propositum fuerit dubium pro Signatura Commissionis, reassumptionis Causæ dicti Beati Alphonsi Mariæ De Ligorio in statu, et terminis in quibus illa reperiebatur ad effectum procedendi ad ulteriora in Causæ illius Canonizationis, et Sacra eadem Congregatio rescribendum censuerit dictam Commissionem signari posse si Sanctissimo visum fuerit prout ex Decreto eodem die facto et a Sanctissimo adprobato ad quod condigna habeatur relatio et patet ex originali Commissione manu Sa: Me: Pii PP. VII. signata, et in Actis Cancellariæ ejusdem Sacræ Congregationis prasentata die 18. Martii 1818. sub sequenti tenore videlicet = Nucerina Paganorum = Beatissime Pater =

§. 1. *Nova Commissio ad Canonizationem.*

Postquam Ven. Dei Famulus Alphonsus Maria de Ligorio Fundator Congregationis Sanctissimi Redemptoris, ac olim Episcopus S. Agathæ Gothorum Kalendis Augusti 1787. in Collegio Nuceriæ Paganorum ad optatos Christi amplexus feliciter evolaverat; constructis in Diœcesibus Nuceriæ Paganorum, et S. Agathæ Gothorum Inquisitionibus super illius sanctitate vitæ, et miraculis, Sa: Me: Pius VI. die 2. Decembris 1795. delegavit Congregationi Particulari SS. Rituum cl:me: Cardinalium Archinto, Livizzani, et Rinuccini necnon RR.PP.Hieronymi Napulioni Promotoris Fidei,et Dominici Coppola Secretarii examen nonnullarum variationum quæ Servo Dei adhuc in agente evenisse asserebantur in Regula Congregationis ab ipso institutæ cum facultate imponendi prædicto obstativo perpetuum silentium

si

si Servi Dei innocentiam plene probatam invenerit, et die nona Martii 1796. ejusdem Congregationis Rescriptum de S. D. innocentia adprobavit, perpetuumque huic obstativo silentium imposuit. Prævia inde discussione Processum Auctoritate Ordinaria constructorum, eorumque relatione facta in Congregatione SS· Rituum habita 30. Aprilis 1796. per cl: me: Card. Archintum in Causa Relatorem jam electum die 9. Julii 1794. idem Pontifex illius Beatificationis, et Canonizationis causam per Commissionem propria manu Signatam die 4. Maji 1796. SS. Rituum Congregationi inquirendam examinandamque commisit, concessis postea Litteris Remissorialibus eadem die et anno ad inchoandos tum in Diœcesi Nuceriæ Paganorum, tum in alia S. Agathæ Gothorum per delegatos Judices Processus Apostolicos super Virtutibus, et Miraculis in specie; decretum fuit die 20. Septembris anni 1797. constare de cultu Ven Dei Famulo numquam exhibito eademque die per Remissoriales Litteras commissa fuit delegatis Judicibus Nuceriæ Paganorum Inquisitio Apostolica super Fama Sanctitatis in genere. Verum cum causæ cursus illius temporis vicissitudine fuerit interceptus idem Pontifex Pius VI. suo Rescripto Florentiæ dato die 7. Decembris 1798. iisdem Delegatis Judicibus potestatem fecit post absolutam Inquisitionem de Fama Sanctitatis in genere examinandi omnes et quoscumque Testes, recognoscendi Dei Famuli Cadaver et observandi Processum Apostolicum in utraque Diœcesi Nucerina, et Agathensi super Virtutibus et Miraculis in specie, illumque in Episcopali Archivio reponendi, donec cum exemplandi facultatem Apostolica Sedes fuisset impertita. Reddita inde Ecclesiæ tranquillitate, discussa, adprobataque fuit die 27. Martii 1802. annuente Sanctitate Vestra die 3. Aprilis ejusdem anni, validitas, et relevantia Processus super fama sanctitatis in genere. Exemplatis interea binis Processibus Apostolicis in Diœcesibus Nucerina, et Agathensi super virtutibus; et miraculis in specie ex apostolico indulto dato 3. Aprilis 1802. et Theologico jam examini de more subjectis tum operibus typis impressis, tum manuscriptis Ven. Servi Dei, rescriptum fuit a Sacra Rituum Congregatione die 14. Martii 1802. procedi posse ad ulteriora, quod quidem responsum die 18. ejusdem Mensis Sanctitas Vestra adprobavit, indulta propterea dispensatione die 25. Junii 1803, proponendi Dubium de virtutibus licet a Ven.Servi Dei obitu quinquaginta Anni nondum essent elapsi, et adprobata primum a Sacra Rituum Congregatione die 17. Septembris præfati anni, inde a Sanctitate Vestra die 24. illius mensis validitate Apostolicarum Inquisitionum institutum fuit Virtutum examen. Hinc cum post consuetas Congregationes antipræparatoriam habitam die 10. Junii 1806. coram Rmo Card. Caracciolo jam die 6. Martii 1802. defuncto Cardinali Archinto a sanctitate Vestra in Causa Relatorem suffecto,

Præ-

Præparatoriam habitam in Palatio Apostolico Quirinali die 17. Februarii anni 1807. ac tandem Generalem coram Sanctitate Vestra convocatam quarto Kalendas Maii 1807. eadem S.V. Nonis Maji ejusdem anni de heroicis Ven. Servi Dei virtutibus in gradu heroico constare decrevit. Quamobrem eadem Sanctitas Vestra decimoquinto kalendas Octobris 1815. de duobus Miraculis in secundo genere constare dixit, postquam illa discussa fuerant in triplici Congregatione prima nempe cogenda septimo kalendas Octobris 1809. sed impedito ob temporis difficultatem Consultorum conventu; traditis in scriptis suffragiis Rmo Cardinali Michaeli De Petro Delegato Apostolico, altera habita in Palatio Apostolico Quirinali pridie kalendas Martii 1815., ac tertia ibidem convocata Nonis Septembris ejusdem anni. Hisce absolutis sequentia postmodum decimosecundo kalendas Jannarii 1815. declaratione Beatificationis quandocumque in Basilica Vaticana peragendæ Sanctitas Vestra per Litteras in forma Brevis expeditas die 6. Septembris 1816. indulsit, concessitque, ut prædictus Dei Famulus Alphonsus Maria de Ligorio imposterum Beati nomine nuncupari posset cum aliis indultis; et clausulis consuetis, quarum tenorem placeat Sanctitati Vestræ hic habere pro inserto. In quarum Litterarum exequutionem die 15. Septembris 1816. in prædicta Basilica Vaticana Beatificationis solemnia expleta tandem fuere. Cum vero fama sanctitatis ejusdem Beati Alphonsi Mariæ de Ligorio una cum Populorum devotione, cultu, et veneratione, nec non Miraculorum frequentia, quæ post Beatificationis indultum Deus Opt. Max. ejus meritis et intercessioni operari dignatus est, et in dies operatur a Deo aucta sit, et magis magisque augetur in dies, ut plurimorum etiam gravissimorum Virorum existimatione dignus censeatur supremo Canonizationis honore, ad quem quantocius ad Apostolica Sede juxta Canonicas sanctiones, et S. R. E. ritum promoveatur, inde moti, piaque intentione ac peculiari erga dictum Beatum devotione, ducti Serenissimus Ferdinandus Utriusque Siciliæ Rex, Rmi Cardinales Ruffo Archiepiscopus Neapolitanus, Spinucci Archiepiscopus Beneventanus, Severoli Episcopus Viterbiensis et Tuscanensis, Carafa Episcoporum, et Regularium Negociis Præfectus, nec non Archiepiscopus Beryti ejusdem Congregationis Secretarius Archiepiscopus Salernitanus, Archiepiscopus Philippensis Urbis Vicesgerens, Episcopus Eugubinus, Episcopus Verulanus, Vicarius Capitularis Nuceriæ Paganorum Vicarius Capitularis Sanctæ Agathæ Gothorum, Pro-Vicarius Generalis Canonicus Decanus Marabarchæ in Dalmatia, rector major totius Congregationis SSmi Redemptoris, aliæque personæ graves et authenticæ, Sanctitati Vestræ enixe supplicarunt, ut ad ejusdem Beati Canonizationem procedere benigne dignaretur. Verum quia juxta decreta Sa. Me. Urbani VIII., et recentiora ejusdem Men.

Cle-

Clementis XI. pro habenda certiori veritate sanctitatis, et miraculorum Servi Dei, pro cujus Canonizatione instatur prius fieri debet summo Pontifici plena, et distincta relatio, eorum, quæ cultus concessionem præcesserunt, et quæ intuitu ipsius venerationis quomodolibet elargita fuerunt, ea vero quæ post dictam Venerationem indultam quomodolibet supervenerunt, debeant per juridicas probationes discuti, ut ex iis constare possit, num sedes Apostolica tutò valeat ad solemnem Canonizationem devenire, propterea cum in Congregatione SS. Rituum habita die 28. Februarii 1818. per Rm̃um Cardinalem Matthæjum Sacri Collegii Decanum loco Cardinalis Caracciolo Relatoris absentis facta sit relatio status omniumque hactenus in causa gestorum, pro parte Sanctitatis Vestræ oratoris P. Vincentii Antonii Giattini Procuratoris Generalis Congregationis Sanctissimi Redemptoris, causæque Postulatoris humillime supplicatur, quatenus dignetur Causam Canonizationis dicti B. Alphonsi Mariæ de Ligorio in statu, et terminis in quibus reperitur una cum omnibus, et singulis inciden, dependen, emergen, annexis, et connexis quibuscumque, confirmando quatenus opus sit Ponentem seu Relatorem Rm̃um Card. Caracciolo jam deputatum eidem Congregationi committere, et mandare cum facultate ut constare possit de iis quæ supervenerunt post præfatum Beatificationis indultum poteruntque quomodolibet, et qualitercumque contingere, et ad omnem alium bonum finem, et effectum causæ magis proficuum Litteras Remissoriales et Compulsoriales super præmissis, Citato R. P. Promotore Fidei ad quascumque mundi partes decernendi, et relaxandi, nec non etiam in Curia Jura, et Documenta recipiendi et si opus fuerit Testes in Urbe per Reverendissimum Cardinalem S. V. Vicarium sive per Episcopos ab eo deputandos examinari faciendi prævia citatione, et cum interventu ejusdem R. P. Promotoris vel ejus sub Promotoris juxta interrogatoria ab eo danda, et super Articulis in actis exhibendis ut ipsis noviter probandis legittima prius discussis postmodum ad formam supradictorum decretorum post aliam plenam, et distinctam relationem Sanctitati Vestræ faciendam non modo eorum, quæ cultus concessionem præcesserunt, et intuitu venerationis dicto Beato Alphonso Mariæ quomodolibet elargita fuerunt verum etiam eorum quæ in novis informationibus seu processibus ut supra construendis supervenisse seu quomodolibet probata fuisse constabit eadem Sanctitas Vestra cognoscere possit an causa sit in statu ut juxta Canonicas Sanctiones, et S. Romanæ Ecclesiæ ritum ad solemnem dicti B. Alphonsi Mariæ Canonizationem devenire possit, et valeat cum potestate citandi, et inhibendi, quos quibus quoties ubi et quando opus fuerit etiam sub censuris etc. et per Edi-

ctum etc. Constita etc. cæteraque omnia, et singula in præmissis, et circa ea quomodolibet necessaria et opportuna, faciendi, dicendi, gerendi, exercendi, et exequendi usque ad ultimum, et finale complementum prædictæ Causæ Canonizationis; Servata tamen in omnibus, et singulis forma prædictorum Decretorum,aliorumque novissime ab eadem SS. Rituum Congregatione editorum non obstantibus. Constitutionibus etiam in universalibus, et synodalibus Conciliis editis, atque aliis Ordinationibus Apostolicis,Regulis Cancellariæ,stylo Palatii et Curiæ.Cæterisque contrariis quibuscumque statum etc. tenore etc. pro plene, et sufficienter expressis haben etc. Placet Gregorius Barnaba = Deinde vero cum Altissimus dignatus fuerit post indultam d. Beato Venerationem patrare Miraculum ad ejusdem assertam intercessionem in personam predicti Fr. Petri Canali Laici in Monasterio S. Crucis Fontis Avellanæ, Ordinis S. Benedicti Congregationis Monachorum Camaldulensium. Idcirco P. Joseph Maria Mautone Sacerdos Congregationis SSmi Redemptoris ejusdem Causæ Postulator cupiens super eodem assumpto Miraculo necessarias recipi probationes SSmo Domino Nostro Leoni PP.XII. Pontifici Optimo Maximo humillime supplicaverit, ut concedere dignaretur Litteras Remissoriales dirigendas Vobis Judicibus, et Sanctitas Sua benigne concessit easdem Remissoriales Litteras dirigendas Vobis ut supra delegatis Judicibus cum superius expressa clausula, aliisque omnibus Facultatibus necessariis, et opportunis ad annum a die præsentationis DD. Litterarum Remissorialium vobis delegatis Judicibus faciendæ duraturis prout ex Decreto Sanctitatis Suæ facto die 6. Decembris 1825. quod ita se habet= Nucerina Paganorum.Canonizationis Beati Alphonsi Mariæ de Ligorio Fundatoris Congregationis SSmiRedemptoris ac olim Episcopi S. Agathæ Gothorum = Post indultam ab Apostolica sede venerationem Beato Alphonso Maria de Ligorio ad ejus intercessionem a Deo Optimo Maximo patratum fuisse narratur Miraculum favore Fr. Petri Canali Laici in Monasterio S. Crucis Fontis Avellanæ Ordinis Sancti Benedicti Congregationis Monachorum Camaldulensium, propterea R. P. Joseph Maria Mautone Presbyter Congregationis Sanctissimi Redemptoris prædictæque Causæ Postulator Sanctissimum Dominum Nostrum Leonem XII. Pontificem Max. humillime exoravit pro concessione Litterarum Remissorialium,et Compulsorialium Sacrorum Rituum Congregationis ad Processum Apostolica auctoritate in Diœcesi Callien. super asserto Miraculo construendum, dirigendarum Rmo Episcopo Callien., ejusque Generali Vicario, et quatuor Dignitatibus, vel Canonicis illius Ecclesiæ Cathedralis ab eodem Rmo Episcopo eligendis, et nominandis. Sanctitas Sua ad mei infrascripti Sacrorum Rituum Congregationis Secretarii relationem,

nem, benigne concessit præfatas Litteras Remissoriales, et Compulsoriales, ut supra dirigendas, cum clausula tamen quod Rñus Episcopus Callien. cum suo Generali Vicario, vel altera ex Dignitatibus seu Canonicis Ecclesiæ Cathedralis, vel eo impedito Vicarius Generalis cum duabus ex dictis Dignitatibus seu Canonicis, utroque vero impedito ipsæ quatuor Dignitates seu Canonici singulis Processus sessionibus conjunctim semper, et non divisim intersint, et assistant cum facultate alium vel alios in casu mortis vel impedimenti substituendi, et subrogandi, præfinitoque unius anni termino a die præsentationis dictarum Litterarum Apostolicarum inchoando ad inquisitionem prædictam absolvendam, cumque omnibus aliis facultatibus necessariis, et opportunis in hujusmodi Litteris Apostolicis apponi solitis, et consuetis. Die 6 Decembris 1825. = Julius Maria Cardinalis de Somalia Episcopus Ostien. etc. Sanctæ Ecclesiæ Vice-Cancellarius, et S. R. C. Præfectus = Loco ✠ Sigilli = J. A. Sala S. R. C. Secretarius Coadjutor = Citato igitur coram nobis R. P. D. Virgilio Pescetelli S. Fidei Promotore primò ad dicendum contra dictam Commissionem præfatumque Decretum, et successive contra Positiones seu Articulos in actis facto datos, quorum Copia sibi trasmissa fuit ad effectum super illis Auctoritate Apostolica examinandi Testes in Civitate, et Diæcesi Callien., et construendi Processum super dicto asserto Miraculo in specie ut supra patrato; videndum illas, et illos ad probandum admitti, Testes ut supra inducendos mandari examinari, ac decerni, et relaxari Litteras Remissoriales, in antedicta Civitate, et Diæcesi exequendas, Vobisque Judicibus ut supra Delegatis cum superius expressa clausula, et facultatibus intra terminum unius anni procedentibus dirigendas ad formam Decreti SSmi Domini Nostri Papæ, concordandum de Judicibus antedictis termino, et locis, locorumque locis, et Portitore, constituendumque aliquem seu aliquos Fidei Sub-Promotorem seu Sub-Promotores per acta infrascripti Cancellarii, qui in dicta Civitate, et Diæcesi comode citari possint, et examinibus Testium ac Processui antedicto intersint, dandum Interrogatoria in iisdem Litteris includenda, alias videndum mandari procedi per affixionem ad valvas Ecclesiæ Cathedralis Callien. vel majoris Ecclesiæ loci intra dictam Diæcesim deputandi, Testes examinari, Litterasque, Remissoriales expediri, claudi, et sigillari absque dictis Interrogatoriis, et Decretum quodcumque desuper necessarium, et opportunum fieri, et interponi ad infrascriptam diem: Qua adveniente ac in dictæ Citationis termino comparuit in Judicio dict. P. Joseph Maria Mautone Postulator prout in actis constitutus, et folio produxit Positiones seu Articulos in calce præsentium registrandos, petiitque, et institit, illas, et illos ad probandum admitti, Testes, ut su-

§. 2. Clausula, qua Judices procedere debent.

Terminus præfixus.

§. 3. Productio articulorum.

supra inducendos mandari examinari ac decerni, et relaxari Litteras Remissoriales in Civitate, et Diæcesi Callien. infra terminum etc. unius anni ut supra inchoandi exequendas, et dirigendas Amplitudini tuæ Romæ Episcope Callien. vobisque illius Vicario Generali, et quatuor Dignitatibus seu Canonicis Ecclesiæ Cathedralis Callien. ab eadem Amplitudine Tua nominandis et eligendis cum antedicta clausula, ut vel Amplitudo Tua Episcope Callien. cum Tuo Vicario Generali aut altera ex Dignitatibus seu Canonicis, vel Te impedito Vicarius Generalis cum duabus ex dictis Dignitatibus seu Canonicis, utroque vero impedito ipsæ quatuor Dignitates seu Canonici singulis Processus sessionibus conjunctim semper, et non divisim intersint, et assistant cum facultate alium seu alios in casu mortis vel impedimenti substituendi, et subrogandi prout in dicta citatione habetur, et latius infra dicetur. Nosque Cardinalis de Somalia S. R. C. Præfectus earumdem Commissionis, et postremi Decreti formam exequendo, easdem positiones, et articulos ad probandum admisimus, Testes desuper inducendos examinari mandavimus in dicta Civitate, et Diæcesi Callien. infra terminum unius anni ut supra inchoandum, præfatasque Litteras Remissoriales super dicto novo asserto Miraculo vobis ut supra Delegatis Judicibus cum superius expressa clausula dirigendas decrevimus et relaxavimus ac expediri, claudi, et sigillari mandavimus cum omnibus, et singulis facultatibus necessariis, et opportunis. Pro loco vero loci, seu locis locorum in eadem Civitate, et Diæcesi Callien. locum, et loca per vos Judices Delegatos, et ut supra procedentes eligenda, portitoremque pro harum litterarum asportatione deputavimus, et alias prout in actis infrascripti Cancellarii dictæ Sac. Congregationis, injungendo tamen juxta dispositionem novissimorum Decretorum ejusdem Sac. Congregationis, quod ante inchoationem Processus vigore præsentium Litterarum Remissorialium conficiendi per vos ut supra Delegatos Judices juramentum præstetur in dictum Processum, omnino registrandum sequenti forma in iisdem Decretis præscripta videlicet = Ego N. N. (exprimendo nomen, et cognomen) tacto pectore quoad Rmum Episcopum Callien., quoad vero Vicarium Generalem, et quatuor Dignitates seu Canonicos Ecclesiæ Cathedralis Callien. ut supra nominandos, et eligendos tactis Sanctis Dei Evangeliis coram me positis juro, et promitto fideliter adimplere munus mihi commissum circa fabricationem Processus Apostolici in Causa Canonizationis Beati Al-Alphonsi Mariæ de Ligorio Fundatoris Congregationis SSmi Redemptoris ac olim Episcopi S. Agathæ Gothorum juxta formam Decretorum Sacræ R tuum Congregationis, et præcipue novissimorum quæ confirmata fuerunt a Ven. Servo Dei Innocentio PP. XI. necnon juro, et pro-

§. 4. *Juramenti formula.*

promitto religiose servare Secretum tam de contentis in interrogatoriis, quam de Testium depositionibus super iisdem, et super articulis, nec de iis loqui cum aliqua Persona exceptis aliis Judicibus sub. Promotoribus, et Notario pro eodem Processu deputatis sub pœna perjurii, et excomunicationis latæ Sententiæ, a qua nonnisi a Summo Pontifice (excluso etiam Majori Pœnitentiario) præterquam in mortis Articulo absolvi possim, et ita promitto, et iuro, sic me Deus adjuvet = Subjungendo Vos Vicari Generalis, et quatuor Dignitates seu Canonici antedicti = et hæc Sancta ejus Evangelia. Quo circa Vos Judices, modo quo supra, Delegatos, de quorum integritate, zelo religionis, perpetuaque ac debita erga S. Sedem Apostolicam obedientia plurimum in Domino eadem Sacra Congregatio confidit, et nos quoque confidimus, requirimus, et monemus eisdemque etiam Apostolica qua dicta Sacra Congregatio, et Nos in hac parte fungimur ac ejusdem Sacræ Congregationis Ordinaria Auctoritatibus, committimus, et mandamus ut amplitudo tua Episcope Callien. cum tuo Vicario Generali vel altera ex Dignitatibus, seu Canonicis Ecclesiæ Cathedralis Callien, vel Te impedito, Vicarius Generalis cum duabus ex dd. Dignitatibus, seu Canonicis, utroque vero impedito, ipsæ quatuor Dignitates seu Canonici singulis Processus Sessionibus, conjunctim semper, et non divisim intersint, et assistant cum facultate alium vel alios in casu mortis vel impedimenti, substituendi, et subrogandi ac non alias aliter, nec alio modo vice ejusdem Sacræ Congregationis et nostra in singulis actis, respective procedentes, ac pro Tribunali sedentes intra dictum Unius Anni terminum ut supra inchoandum omnes et singulis Testes, Scripturas, Jura, et alia quæcumque probationum genera qui et quæ coram iisdem Judicibus presentium exequutoribus in dicta Civitate, et Diæcesi Callien. induci, produci, et exhiberi contigerit a personis legitima mandata Procuræ habentibus, recipiant, et admittant, et primo juxta Interrogatoria per dictum R. P. D. Fidei Promotorem data, et presentibus Nostris adjuncta clausa, et sigillata, non aperienda, nisi coram iisdem præsentium Litterarum Judicibus exequutoribus in actu examinis, denuoque claudenda, et obsignanda eorumdem sigillis in fine cujuslibet Sessionis examinis Testium, prout simili modo claudi, et obsignari debebunt ipsorum Testium depositiones (exprimendo, et adnotando Sigillatim in eodem Processu Actus aperitionis, et clausuræ hujusmodi) sicque clausa, et obsignata cum eisdem Testium depositionibus retinenda usque ad totalem absolutionem Processus, et deinde super dd. Positionibus et Articulis in Ecclesiis Oratoriis, Piisque locis, et in loco cujuslibet ex iisdem locis, et quoad Infirmos

mos; aut alias legitime impeditos in aliis quibuscumque locis per eosdem judices exequntores deputandis, et semper exprimendis tam in Citationibus contra eosdem Testes, et Fidei sub Promotorem seu sub Promotores a d. R. P. D Promotore Fidei nominatos, seu nominandos exequendis, quam in juramentis ab iisdem Testibus præstandis, et examinibus ab eis faciendis, Testes ipsos omnes et singulos diligenter examinent, recepto tamen prius in manibus Judicum praesentium Litterarum exequutorum ab iisdem Testibus cujuscumque status, gradus, conditionis, et sexus existant etiam Sacerdotibus tactis SS. Dei Evangeliis et non alias juramento, non solum de veritate dicenda de iis super quibus examinabuntur, verum etiam de servando secretum sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ in casu contraventionis juxta Sequentem formulam in dictis novissimis Decretis præscriptam videlicet = Ego N. N. (exprimendo Nomen, et Cognomen) tactis Sacrosanctis Dei Evangeliis coram me positis juro, et promitto dicere veritatem tam super Interrogatoriis, quam super Articulis super quibus examinabor, necnon servare Secretum, nec alicui penitus revelare tam contenta in iisdem Interrogatoriis, quam responsiones, et depositiones a me faciendas sub pœna perjurii et excommunicationis latæ Sententiæ a qua nonnisi a Summo Pontifice (excluso etiam majori pœnitentiario) præterquam in mortis articulo absolvi possim, et ita promitto, et juro sic me Deus adjuvet, et haec Sancta ejus Evangelia = Absoluto vero examine Testium a Procuratore Causæ inducendorum alios Testes de dicto asserto miraculo bene conscios ab iisdem Judicibus præsentium exequutoribus ex Officio prout in dictis novissimis Decretis disponitur inducendos pari modo examinent juxta Interrogatoria d. R. P. D. Promotoris Fidei, et prævio juramento veritatis dicendæ, et secreti servandi ab eis juxta relatam formulam præstando in actu examinis, eademque Testium juramenta, necnon depositiones, et dicta recipiant, et in Scriptis redigi faciant per fidei dignum Notarium Apostolica sive Ecclesiastica autoritate creatum per eosdem Judices præsentium, exequutores deputandum, dummodo tamen non sit ex Congregatione SSmi Redemptoris cujus B. Alphonsus Maria de Ligorio, dum vixit, fuit Fundator, etiamsi Privilegiis Protonotariorum Apostolicorum, et aliis quibuscumque quantumvis amplissimis pro rebus, et materiis suæ Congregationis Scribendis, et Actitandis suffultus existat sub pœna nullitatis Processus eo ipso absque alia declaratione incurrenda, qui Notarius in manibus dictorum Judicum tactis Sanctis Dei Evangeliis de fideliter Officium suum exercendo, præstet pariter jura-

men-

pariter juramentum in processu omnino registrandum juxta formulam super hoc dictis Judicibus traditam, mutatis tamen mutandis, animadvertendo præfati Judices quod Testes nequaquam se referant ad attestationes alias redditas, neque illis recitentur ea, quæ alias ipsi deposuerunt, sed quæcumque habent explanate, et per extensum deponant, sicuti etiam Delegati Judices, qui Testium et Contestium examinibus intererunt sedulo, diligenterque curare debebunt, ne Testes ad Articulos respondentes generice se expediant, ajendo vera esse, quæ in Articulis sive Articulo continentur, nam quid sciunt debent clare, et explanate deponere cum omnibus et singulis circumstantiis, quæ iisdem vel de visu, vel de auditu vel alio quocumque modo notæ sunt, etiamsi eadem illæ sint, quæ in Articulo vel Articulis ponuntur, et non alias aliter neque alio modo: Cœtera vero Processus Acta, aliasque Scripturas, et jura, ut præfertur exhibenda in loco solitæ Audientiæ DD. Judicum, seu alio, ab eis deputando recipiant; si vero Testes prædicti sese examini subjicere distulerint, seu recusaverint, Testes ipsos ad se examini subjiciendum sub censuris, et pœnis Canonicis jurisque, et facti remediis opportunis omni, et quacumque appellatione postposita, cogant atque compellant, utque prædicta omnia, et singula liberius exequtioni mandari possint, Nuncium, se Nuncios, Cursorem seu Cursores, pro Citationibus aliisque mandatis exequendis (recepto prius ab eis juramento de fideliter officium suum exercendo) similiter deputent. Completo vero Processu eorumdem testium depositiones et dicta, necnon Citationes, Acta, et actitata quæcumque, omniaque jura producta fideliter transcribi, et transumptari, et coram iisdem Judicibus præsentium exequutoribus adhibito alio Notario Apostolico sive Ecclesiastico (dummodo non sit ex prescripta Congregatione SSmi Redemptoris, cujus B. Alphonsus Maria De Ligorio dum vixit fuit Fundator) qui pariter Notarius juramentum præstet de fideliter Officium suum exercendo ut de alio Notario ad Causam deputando dictum est, transcriptionem, et transumptum hujusmodi cum suis originalibus, auscultari, collationari, et concordari faciant; ac proinde eamdem transcriptionem, et transumptum ab iisdem judicibus exequutoribus subscriptum, eorumque Sigillis ab intra munitum ac in publicam, authenticamque formam redactum cum subsequenti attestatione Notarii Actuari super recognitione subscriptionum, et sigillorum DD. Judicum, describendo etiam formam, et qualitatem DD. Sigillorum cum legalitate in fine, seu Attestatione, Amplitudinis Tuæ Rme Episcope Callien Sigillo roborata ab intra, clausumque etiam ab extra Sigillo tantum Amplitudinis Tuæ Rme Episcope Callien obsignatum Nuncio seu Portitori cum juramento, et obligatione

ne de fideliter adsportando ab iisdem judicibus a quibus presentes exequutioni mandabuntur deputando una cum Instrumento clausuræ, et obsignationis D. Transumpti, illiusque Consignationis dicto Portitori factæ pariter ut supra clauso, et sigillato tradant, atque consignent, et ad D. Sacram Congregationem Rituum, et nos transmitti ac adsportari curent et mandent: Significantes per Litteras ipsorum Judicum presentium exequutorum D. Sacræ Congregationi, et nobis nedum generaliter, quæ fides Testibus examinatis sit adhibenda, verum etiam particulariter super iis, quæ per eosdem Testes deposita fuere; et an in deponendo iidem Judices aliquid viderint seu animadverterint per quod DD. Testium seu alicujus eorum depositio suspecta reddatur. Decenimus tamen, et volumus, quod in omnibus Actibus coram Judicibus presentium Litterarum exequutoribus, et alias circa præmissa faciendis citetur aliquis ex Sub-Promotoribus per dictum R. P. D. Promotorem Fidei nominandis in plico suarum Litterarum una cum presentibus transmittendo: pariterque decernimus irritum, et inane quidquid contra formam presentium Nostrarum Litterarum, scienter vel ignoranter fuerit exequutum, eidemque SSmo Domino Nostro Papæ seu dictæ Sacræ Congregationi reservamus absolutionem omnium, et singulorum qui dictas pœnas, et censuras incurrerint. Pro præmissis autem omnibus, et singulis exequendis, talem diligentiam curam, et fidem Vos Judices modo quo supra Delegatos adhibituros speramus, quales gratiam et benevolentiam ab eadem Sacra Congregatione, et retributionem laboris ab Altissimo valeatis Vobismetipsis comparare. In quorum Testimonium presentes manibus nostra, et infrascriptorum RR. PP. DD. Protonotarii, et Secretaril dictæ Sacræ Congregationis firmatas, sigilloque Nostro munitas per Acta infrascripti Notarii Cancellarii, et Archivistæ dictæ Sacra Congregationis jussimus expediri. Romæ ex ædibus nostris Anno a Salutifero Virginis Partu Millesimo Octingentesimo Vigesimo Sexto; indictione Romana XIV. die vero XX. Januarii, Pontificatus autem SSmi in Christo Patris et Domini Nostri Leonis Divina Providentia Papa XII. Anno tertio.

Ita reperitur in Actis, et Regestis Cancellariæ Congregationis Sacrorum Rituum. In fidem etc.

Dat. ex Eadem Cancellaria die 10. Julii 1827.

Philippus M. Amicius S. R. C. Notarius Cancellarius et Archivista.

Num. 8.

Actus præsentationis Litterarum Remissorialium.
Proc. fol. 6. tergo et seqq.

IN DEI NOMINE AMEN.

Anno a Salutifera Nativitate Domini Nostri Jesu Christi Millesimo Octingentesimo Vigesimo Sexto. Sedente, ac feliciter regnante Sanctissimo Domino Nostro Domino Leone Duodecimo Pontifice Optimo Maximo, Indictione Romæ

mana quartadecima, ac Mense Februarii, die vero Vigesimaseptima ejusdem condicta hora Vigesimaprima.

Noverint ex hisce Tabulis, et æquales nostri, et posteri cuncti, qualiter in mei ac infrascriptorum testium etc. præsentes et personaliter existentes Illmus ac Revmus Dominus Carolus Monti meritissimus Episcopus hujus Civitatis Callii ac Pergulæ, Rmus Dominus Canonicus Theologus Alexander Guiducci in hac Civitate, ac Diæcesi Calliensi in Spiritualibus, Temporalibus, ac mixtis Vicarius Generalis, nec non Admodum Reverendus Sacerdos D. Modestus Antonius Selli tanquam Postulator specialiter Substitutus ab Adm. R. P. Josepho M. Mautone Presbytero eximiæ Congregationis SSmi Redemptoris Postulatore Principali in Alma Urbe Causæ Canonizationis B. Alphonsi M. De Ligorio Fondatoris ejusdem Congregationis, et Episcopi S. Agathæ Gothorum, omnes in hac Civitate Callii degentes et mihi etc. optime cogniti etc sponte etc. ac alias omni etc. præfatusque Dominus Postulator, ac Procurator Sacerdos Modestus Antonius Selli reverenter submisit, ac exhibuit prælibato Illmo ac Rmo Domino D. Episcopo supplicem Libellum una cum authentico Transumpto Manuscripti Mti Procuræ, quo mediante ad infrascripta rite peragenda auctoratus extitit a recensito Adm. R. P. Mautone Principali antedictæ Causæ Postulatore, parique modo subdidit ac exhibuit laudato Illmo ac Rmo Domino D. Antistiti fasciculum, seu Plicum Literarum Remissorialium et Compulsorialium Sacræ Rituum Congregationis Sigillo munitum ab extra integrum, nec in ulla parte vitiatum cum exteriori inscriptione eidem Illmo ac Rmo Domino directa in eum finem, ut construatur in hac Civitate ac Diæcesi Calliensi Processus Apostolicus super quodam Miraculo in specie prælaudati Beati Alphonsi Mariæ De Ligorio, quem quidem Supplicem Libellum una cum Procuræ Mandato, ac Plico Literarum Remissorialium, et Compulsorialium Illmus ac Rmus Dominus D. Episcopus eo, quo decet obsequio recepit, suo congruo admisit Decreto propria manu, nec non Rmi D. Vicarii Generalis, Testium, meique Cancellarii Episcopalis infrascriptorum charactere firmato, et exinde hæc omnia tradidit mihi Cancellario suo, ut in hoc referrem, prout retuli, Instrumento, præmissa tamen integra eorum recitatione, quam alta, et intelligibili voce perfeci de singulo Actu desuper ænunciato a primo usque ad ultimum verbum inibi expressum, et deinde ad majorem rei et facti authenticitatem, et exploratæ veritatis securitatem fideliter, ac genuino verborum sensu in hoc eodem actu transtuli, ac prout visitur exscripsi, et præsens mihi demandatum publicum confeci Instrumentum ad honorem Dei sanctius promovendum, et ad Beati, de quo agitur, venerationem, ac cultum magis excitandum, augendumque.

§. 1. *Instantia Postulatoris.*

§. 2. *Præsentatio plici Remissorialium.*

§. 3. *Receptio Plici Remissorialium.*

§. 4. *Lectura externæ inscriptionis Remissorialium.*

Tenor supplicis Libelli Mandati Procuræ, ac Decreti de quibus supra est sequens videlicet.

Illme ac Rme Domine

§. 5. *Supplex Libellus Rmo Episcopo Calliensi porrectus.*

Modestus Antonius Selli Postulator specialiter substitutus ab Adm. R. P. Josepho Maria Mautone Presbytero Congregationis SSmi Redemptoris Postulatore principali Causæ Canonizationis B. Alphonsi Mariæ De Ligorio Fundatoris ejusdem Congregationis, et Episcopi S. Agathæ Gothorum, quemadmodum constat ex authentico Procurae Mandato, quod exhibet, Orator humillimus reverenter exponit Dominationi Tuae Illmæ et Rmæ Episcopo Calliensi, et Rmo Domino Vicario Generali, necnon quatuor Dignitatibus, seu Canonicis hujus Ecclesiæ Cathedralis per dominationem tuam Illmam et Rmam nominandis et eligendis in Conjudices a Sacra Rituum Congregatione directas esse Literas Remissoriales et Compulsoriales ad effectum construendi in hac Civitate, ac Dioecesi Calliensi Processum Apostolicum super Miraculo in specie dicti Beati Alphonsi Mariae De Ligorio, quæ Literæ clausae, et obsignatae reperiuntur in adjuncto Plico Sigillo Emi et Rmi D. Cardinalis eidem Sacrae Rituum Congregationi Praefecti prorsus intacto, nullaque in parte vitiato, Illum itaque idem Orator Vobis Delegatis Judicibus humiliter praesentat, eumdemque recipi, aperiri, atque in eo contenta exequutioni mandari supplicat. Et de gratia etc.

§. 6. *Descriptio legalitatis plici.*

§. 7. *Decretum admissionis Remissorialium, et executione*

Et Proc. fol. 12. et seq. = Nos Carolus Monti Episcopus Calliensis et Pergulanus Literas Remissoriales et Compulsoriales Sacrae Rituum Congregationis clausas, et obsignatas, ea, qua par est reverentia recipientes, atque submissis precibus annuentes, et ad illarum exequutionem procedere volentes, mandamus pro die prima proximi futuri Mensis Martii hora vigesima prima citari Dominum Promotorem Fiscalem nostrae Episcopalis Curiae, ad comparendum in hunc nostrae solitae Audientiae locum, nec non videndum per nos ad formam extrinsecae Inscriptionis Plici Literarum Remissorialium, et Compulsorialium Quatuor ex Dignitatibus et Canonicis Nostrae Cathedralis Ecclesiae in Conjudices eligi, et deputari ipsisque deinde ac Nobiscum, et Nostro Domino Vicario Generali intervenientibus ad videndum dictum Plicum prius recognosci ab extra pro integro, nec in ulla parte vitiato, subindeque illum aperiri, Literasque uti asseritur in eo contentas perlegi, et ad illarum formam jurisdictionem per Nos, aliosque Judices acceptari, necnon ad omnimodam ipsarum exequutionem mandari procedi, ac insuper ad recipiendum alium Plicum Literarum R. P. Domini Promotoris Fidei ei directum, deputari Notarium Apostolica, sive Ecclesiastica Auctoritate creatum, qui inchoandi Processus Acta conscribat

§. 8. *Citatio Fiscalis pro habenda Sessione.*

bat, Cursores eligi, qui Citationes, et alia quæcumque fideliter exequantur destinarique dies horas, et loca, locorumque loca tam pro Audientiis et Actis publicis, quam pro juramentis, et examinibus Testium recipiendis, aliaque fieri videndum in eadem Citatione exprimenda quomodolibet necessaria, et opportuna. Præterea de his omnibus, et singulis publicum Instrumentum confeci, ac in eo presentem supplicem Libellum una cum nostro Rescripto seu Decreto, necnon mandato Procuræ comparentis, ipsoque Plico Remissorialium et Compulsorialium ita clauso, et obsignato registrando dicti Plici exteriorem inscriptionem inseri mandamus. Datum Callii in Cubiculo nostræ solitæ Audientiæ die Vigesimaseptima Februarii Anni Millesimi Octingentesimi Vigesimisexti.

Carolus Episcopus Callien et Pergulan.

Alexander Canonicus Theologus Guiducci Vicarius Generalis.

Sacerdos Aloysius Sartori Testis.

Sacerdos Nicolaus Marazzi Testis.

Dominicus Benvenutus Grassi Cancellarius Episcopalis.

Tenor exterioris inscriptionis Literarum Remissorialium et Compulsorialium Sacræ Rituum Congregationis de qua supra etc. est qui sequitur scilicet.

§. 9. *Externa Inscriptio Remissorialium.*

Illustrissimo et Reverendissimo Domino Episcopo Callien ejusque Reverendo Generali Vicario, et quatuor Dignitatibus vel Canonicis illius Ecclesiæ Cathedralis Callien. ab eodem Reverendissimo Domino Episcopo eligendis et nominandis Judicibus per Sanctissimum Dominum Nostrum Leonem PP. XII. Sacramque Rituum Congregationem Delegatis pro construendo in Civitate, et Diæcesi Calliensi Processu Apostolico super asserto Miraculo a Deo Optimo Maximo patrato ad intercessionem Beati Alphonsi Mariæ De Ligorio Fundatoris Congregationis Sanctissimi Redemptoris ac olim Episcopi S. Agathæ Gothorum in personam Fratris Petri Canali Laici in Monasterio S. Crucis Fontis Avellanæ Ordinis S. Benedicti Congregationis Monachorum Camaldulensium post indultam dicto Beato ab Apostolica Sede Venerationem, cum clausula tamen quod Reverendissimus Episcopus Callien. cum suo Generali Vicario vel altera ex Dignitatibus seu Canonicis Ecclesiæ Cathedralis vel eo impedito Vicarius Generalis cum duabus ex dictis Dignitatibus seu Canonicis, utroque vero impedito ipsæ quatuor Dignitates seu Canonici singulis Processus Sessionibus conjunctim semper et non divisim intersint, et assistant cum facultate alium vel alios in casu mortis vel impedimenti substituendi et subrogandi.

Nucerina Paganorum.

Canonizationis Beati Alphonsi Mariæ De Ligorio

Literæ Remissoriales Sacræ Rituum Congregationis pro conficiendo in Civitate et Diæcesi Calliensi Processu Apostolico super asserto Miraculo in specie ab altissimo patrato intercedente dicto Beato post indultam eidem ab Apostolica Sede Venerationem.

Loco ✠ Magni Sigilli posteriori parti appositi.

§. 10. *Instrumentum præsentationis Remissorialium.*

Acta sunt hæc omnia in hac Civitate Callii in Palatio Episcopali, et signanter in cubiculo solitæ Audientiæ quod est secundum a sinistris Aulæ Majoris viam versus, quæ dicitur Cursus ad plagam occidentalem, ibidem præsentibus, et perpetuo adstantibus etc. præter prælibatos Illustrissimum ac Reverendissimum Dominum D. Carolum Monti Episcopum Calliensem et Pergulanum, Reverendissimum D. Canonicum Theologum Alexandrum Guiducci ejus Vicarium Generalem, et Adm: R. D. Modestum Antonium Selli Postulatorem, RR. DD. Aloysio Sartori et Nicolao Marazzi Presbyteris Callien. qui huic interfuerunt tamquam testes idonei adhibiti, atque rogati Actui.

Carolus Episcopus Callien. et Pergulan.

Alexander Canonicus Theologus Guiducci Vicarius Generalis.

Sacerdos Aloysius Sartori Testis

Sacerdos Nicolaus Marazzi Testis

Ita est = Dominicus Benvenutus Grassi Calliensis Antistitis Tabulario Præfectus rogatus etc.

§. 11. *Nova instantia pro exequendis remissorialibus.*

Ex Proc. fol. 16. *ter.* Die prima Martii 1826. hora Vigesimaprima Adm: R. D. Modestus Antonius Selli Postulator in hac Causa specialiter substitutus prout ex Mandato Procuræ in Actis exhibito comparuit coram Illustrissimo et Reverendissimo Domino D. Episcopo Calliensi ejusque Reverendissimo Domino Vicario Generali Judicibus a Sacra Rituum Congregatione Delegatis et reproducendo Intimationem ac Citationem contra Nobilem Dominum Comitem Camillum Felici Giunhi Promotorem Fiscalem hujus Curiæ Episcopalis personaliter exequutam, quam facto dedit cum relatione in calce ejus exequutionis tenor etc. ad illius formam institit in primis pro deputatione, et electione quatuor Dignitatum, seu Canonicorum hujus Cathedralis Ecclesiæ in Conjudices ab Illustrissimo et Reverendissimo Domino Episcopo nominandorum pro exequutione Literarum Remissorialium Sacrorum Rituum Congregationis, de quibus in Actis, qui in constructione Processus de quo agitur, procedant juxta formam in iisdem Remissorialibus Literis præscriptam. Subinde institit Plicum dictarum Remissorialium aperiri ac perlegi, et ad illarum exequutionem procedi, aliaque fieri in omnibus et per omnia ut in ipsa Citatione continetur, ad quam etc. petens etc. omni etc.

Et Proc. fol. 18. Ex tunc præfatus Illustrissimus ac Reverendissimus Dominus D. Episcopus Calliensis, et Pergula-

gulanus utendo facultate sibi tributa in extrinseca inscriptione Plici Literarum Remissorialium, deputavit, ac elegit in Conjudices, et Condelegatos ad easdem Literas exequendas, et ad inchoandum Processum de quo agitur Reverendissimos Dominos Præpositum Dominicum Benincasa, Franciscum Bufalini, Angelum Federici, et Aloysium Valcelli quatuor ex Dignitatibus et respective Canonicis hujus Ecclesiæ Cathedralis Calliensis omni etc.

§. 12. Electio Conjudicum prescripta remissiorialium externa inscriptione.

§. 13. Nomina Conjudicum.

Qui supranominati DD. Conjudices antea moniti vocati, hicque præsentes sese promptos et paratos exhibuerunt ad explenda munera sibi commissa juxta formam et continentiam Litterarum Remissorialium, et deinde.

Immediate dictus Illmus, et Rmus Dominus D. Episcopus Calliensis et Pergulanus, nec non Rmus D. Vicarius Generalis, ac Rmi Domini Dominicus Præpositus Benincasa, Franciscus Bufalini, Angelus Federici, et Aloysius Valcelli Conjudices et Condelegati de eorum electione, et deputatione moniti, modo quo supra sese promptos et paratos obtulerunt acceptare jurisdictionem sibi ipsis a Sacra Rituum Congregatione delegatam, necnon ad aperitionem et exequutionem Literarum Remissorialium. Quapropter præsente eodem Domino Promotore Fiscali præ manibus acceperunt Plicum earumdem Remissorialium, illumque diligenter perlustrarunt, et eorum quilibet prout etiam D. Promotor Fiscalis attente perlustravit, et consideravit, et successive iidem Domini Judices Delegati declararunt illum fuisse, et esse intactum, nullaque in parte vitiatum; Ideoque consentiente dicto D.Promotore Fiscali mandarunt illum aperiri, et successive per me Cancellarium infrascriptum perlegi omni etc. prout statim ego Cancellarius etc. dd. Dominorum Judicum Delegatorum mandatis obtemperando dictum Plicum aperui, et in eodem inventæ fuerunt Literæ Remissoriales Sacræ Rituum Congregationis prorsus intactæ, nulloque vitio laborantes una cum introcluso Plico Interrogatoriorum clauso et sigillato. Easdemque Literas Remissoriales omnibus audientibus alta, et intelligibili voce perlegi a principio usque ad finem. Absoluta vero dictarum Remissorialium lectura iidem Domini Judices Delegati, denuo sese promptos et paratos offerentes ad ipsarum literarum exequutionem juxta formam earumdem procedere, et Processum demandatum construere, jurisdictionem sibi delegatam solemniter acceptarunt, et quilibet eorum solemniter acceptavit, et in adimplementum præscriptorum in iisdem Literis Remissorialibus in primis quilibet eorum unus post alium juravit ad formam decretorum novissimorum Sacræ Rituum Congregationis de suo fideliter munere exercendo, et de secretum servando prout infra.

§. 14. Acceptatio jurisdictionis.

§. 15. Declaratio integritatis plici Remissorialium.

§. 16. Aperitio Remissorialium, et inventio plici Interrogatoriorum R.P.D. Promotoris.

§. 17. Lectura Remissorialium.

§. 18. Acceptatio Jurisdictionis.

§. 19. Juramenta Conjudicum.

(*Sequitur juramentum singulorum Judicum*).

Et Proc. fol. 24. *ter.* Præstitis supradictis Juramentis, illico, et in-

et incontinenti prænominatus D. Modestus Antonius Selli Procurator etc. præsentavit iisdem Rm̃is Domn. Judicibus Delegatis, et antedicto D. Camillo Felici Giunchi Promotori Fiscali præsenti, alterum Plicum eidem D. Promotori Fiscali hujus Curiæ Episcopalis Calliensis in Sub-Promotorem Fidei a Rm̃o D. Promotore in Curia deputato, et alteri Sub-Promotori per ipsos Rm̃os Domin. Judices eligendo directum, clausum, et obsignatum, petens et instans eumdem quoque Plicum aperiri, ac juxta illius tenorem similiter mandari procedi omni etc.

§. 20. Exhibitio plici LL. R. P. D. Promotoris ad Sub-Promotores.

Ex tunc iidem Rm̃i D. Episcopus, Vicarius Generalis Præpositus Dominicus Benincasa, Canonicus Franciscus Bufalini, Canonicus Angelus Federici, et Canonicus Aloysius Valcelli Judices delegati plicum prædictum ita clausum, et obsignatum receperunt, et mihi Cancellario infrascripto mandarunt externam illius inscriptionem in calce præsentis actus registrare; deinde vero illum, ejusque clausuram diligenter una cum eodem D Promotore Fiscali perlustrantes, eoque prorsus illæso, ac sine ullo vitio reperto in primis iidem Rm̃i D. Judices delegati utendo facultate sibi tributa in exteriori ejusdem Plici inscriptione, deputarunt, et elegerunt Adm. R. P. Magistrum in Provincia Antonium Mariam Vitali Priorem hujus Cœnobii S. Joannis Baptistæ Ordinis Prædicatorum in alterum Fidei Sub-Promotorem, quem statim coram se accersiri fecerunt, ac de hujusmodi sui deputatione moneri mandarunt, quique accersitus illico comparuit, atque de hujusmodi sui deputatione in Fidei Sub-Promotorem una cum D. Camillo Felici Giunchi Promotore Fiscali ad effectum assistendi fabricationi Processus de quo agitur per me etc. certioratus, illico sese promptum exhibuit demandatum sibi munus obsequenter acceptare, ac explere, quemadmodum similiter fecit D. Camillus Felici Giunchi Promotor Fiscalis hujus Curiæ Episcopalis Calliensis, iisque attentis, iidem Judices delegati, utroque annuente, et consentiente Sub-Promotore hoc modo electis, mandarunt antedictum Plicum aperiri, ac per me etc. perlegi, eoque statim aperto, altaque, et intelligibili voce perlecto, necnon reperto in plico Literarum Remissorialium altero plico pariter clauso, et obsignato, (prout ex illius extrinseca inscriptione apparet) Interrogatoria Testibus facienda continente, nec nisi in actu examinis aperienda, istum ita clausum, et obsignatum præfatis Dominis Camillo Felici Giunchi Promotori Fiscali per Rm̃um D. Fidei Promotorem in Curia suis hujusmodi literis in Sub-Promotorem deputato et alteri Sub-Promotori prædicto per ipsos Rm̃os Judices delegatos electo, postquam isti suum præstiterunt juramentum, consignari mandarunt, conservandum, et nonnisi in actu examinis Testium (juxta præscriptum præfatum) aperiendum. Mandarunt insuper iidem Rm̃i D. Judices delega-

§. 21. Integritas prædicti Plici.

§. 22. Electio Sub-Promotoris Fiscali adjuncti.

§. 23. Aperitio, et lectura Plici LL. R. P. D. Promotoris.

§. 24. Consignatio plici clausi Interrogatoriorum.

legati per utrumque Sub-Promotorem juramentum præstari de fideliter explendo munere sibi commisso, necnon de secretum servando, quod illico, et incontinenti prædicti Domini Promotor Fiscalis, et alter in Sub-Promotorem electus, munus acceptando, unus post alterum flexis genibus, tactisque Sacrosanctis Evangeliis coram se positis in manibus eorumdem Rmorum DD. Judicum delegatorum separatim præstitit unusquisque dicens hæc formalia verba.

§. 25. *Juramentum præstitum a Sub-Promotoribus.*

(Sequitur juramentum utriusque Sub-Promotoris)

Et Proc. fol. 27. ter. Tenor exterioris inscriptionis Plici deputationis Sub-Promotor. Fidei de quo supra est sequens videlicet,

Perillustribus et admodum Reverendis Dominis Promotori Fiscali Curiæ Episcopalis Calliensis, et alteri probo doctoque viro per Illmum et Rmum D. Episcopum Callien. ejusque Rdum D. Vicarium Generalem, et quatuor Dignitates seu Canonicos Ecclesiæ Cathedralis Calliensis ab eodem Rmo Episcopo nominandos et eligendos Judices a SSmo Domino Nostro Leone PP. XII. Sacraque Rituum Congregatione Delegatos ad effectum construendi in Civitate, et Diæcesi Callien Processum Apostolicum super asserto miraculo a Deo patratum in personam Fratris Petri Canali Laici in Monasterio S. Crucis Fontis Avellanæ Ordinis S. Benedicti Congregationis Monachorum Camaldulensium intercedente B. Alphonso Maria de Ligorio Fundatore Congregationis SSmi Redemptoris, ac olim Episcopo S. Agathæ Gothorum post indultam dicto Beato ab Apostolica Sede Venerationem, cum clausula tamen quod Rmus D. Episcopus Callien. cum suo Generali Vicario, vel altera ex Dignitatibus seu Canonicis Ecclesiæ Cathedralis, vel eo impedito Vicarius Generalis cum duabus ex dictis Dignitatibus seu Canonicis, utroque vero impedito ipsæ quatuor Dignitates, seu Canonici, singulis Processus Sessionibus conjunctim semper, et non divisim intersint et assistant cum facultate alium vel alios in casu mortis vel impedimenti substituendi, et subrogandi pariter Sub-Promotoribus Fidei in solidum deputatis.

§. 26. *Externa inscriptio LL. R. P. D. Promotoris.*

Nucerina Paganorum.

Canonizationis Beati Alphonsi Mariæ De Ligorio Fundatoris Congregationis SSmi Redemptoris, ac olim Episcopi S. Agathæ Gothorum.

Literæ R. P. D. Promotoris deputationis ejus Sub-Promotorum in Civitate, et Diæcesi Callien., ad effectum conficiendi Processum Apostolicum super asserto miraculo a Deo patrato post indultam dicto Beato Venerationem.

Loco ✠ Sigilli posteriori parti appositi in Cera rubra hispanica.

Tenor autem dictarum Literarum est qui sequitur.

§. 27. *Tenor LL. R.P.D. Promotoris qui legitur in actis.*

(Sequitur tenor Literarum R. P. D. Promotoris Fidei ad sub

Sub Promotores in Civitate et Diœcesi Callensi , et traditio Plici interrogatoriorum sigillo muniti) Tenor interrogatoriorum legitur *Proc. fol. 236. et seq.*

Num. IX. Mandatum Procuræ, *Proc. fol. 9. et seq.*

Nos Cœlestinus Maria Cocle Congregationis SSmi Redemptoris Rector Major.

Dilecto nobis in Christo Patri Domino D. Josepho Mariæ Mautone ejusdem Congregationis alumno professo salutem.

Muneris nostri ratio expostulat, ut quæ ac majorem Dei Gloriam nostræque Congregationis decus spectant, sedulo promoveamus: Cum itaque B. Alphonsus Maria de Ligorio præfatæ Congregationis SSmi Redemptoris Fundator, ac olim Episcopus S. Agathæ Gothorum plurimis etiam post ejus Solemnem Beatificationem miraculis ubique locorum corruscare non desinit; Cumque Admodum R.P.D. Vincentius Antonius Giattini ejusdem nostræ Congregationis, et in Causa Canonizationis ejusdem Beati Alphonsi Mariæ de Ligorio Postulator, causa malæ affectæ valetudinis officium suum exercere non possit, te de cujus prudentia, zelo, ac dexteritate plurimum in Domino confidimus, harum nostrarum Literarum serie comprocuratorem in eadem causa Canonizationis prædicti Beati Alphonsi Mariæ de Ligorio nominamus eligimus ac deputamus ad comparendum coram Illmis, ac Rmis Dominis DD. Episcopis sive aliis quibuscumque Ordinariis et Judicibus, et instandum pro constructione Processus auctoritate Apostolica super miraculis in genere et in specie ejusdem Beati juxta Decreta Sacrorum Rituum Congregationis cum facultate præstandi juramentum calumniæ in animam nostram, nec non comparendi coram Summo Pontifice, Emo Præfecto, Secretario, et Prothonotario ejusdem Congregationis Sacrorum Rituum ad petendam aperitionem dictorum Processuum, et faciendi in hac causa usque ad formalem dicti Beati Canonizationem omnes eas instantias, et acta, quæ pro construendis Processibus Apostolicis et Remissorialibus tam in genere, quam in specie sunt necessaria, et opportuna, quæque Nos ipsi agere possemus si personaliter interesse valeremus, etiamsi specialem, et individuam requirerent mentionem, ac demum erogandi; ac præstandi omnes, et quaslibet expensas, quæ pro dicta causa Canonizationis B. Alphonsi Mariæ occurrere possent. Concedimus insuper tibi facultatem substituendi unum aut plures toties quoties tibi placuerit substitutos, revocandi, et alium seu alios substituendi, præsentibus nostris literis in suo robore, et firmitate semper manentibus. Hoc igitur ac omni alio meliori modo sacrum istud negotium fidelitati tuæ committimus ac demandamus, tibique bona omnia a Domino precamur. In quorum fidem has præsentes manu

§. 1. *Facultas substituendi.*

nostra

nostra subscripsimus et consueto Congregationis sigilo lo communiri mandavimus.

Datum Neapoli ex nostro Collegio S. Antonii ad Tarsiam die 27. Mensis Augusti anno millesimo octingentesimo vigesimoquinto

Coelestinus Maria Coele Congregationis SSmi Redemptoris Rector Major

Loco ✠ sigilli

Joannes Josephus Sabelli C ongreg. Sanctissimi Redemptoris a secretis

Et Proc. f. 11. Utendo facultatibus mihi tributis in suprascripto Chirographo mandati procuræ eligo, et substituo in Postulatorem antedictæ causæ Beati Alphonsi Mariæ de Ligorio Adm. Rev. Dominum Mcdestum Antonium Selli Presbyterum ad effectum tantum comparendi in Processu Apostolica Auctoritate construendo in Civitate ac Diæcesi Calliensi super Miraculo a Deo Optimo Maximo patrato intercessione prædicti Beati in personam Fratris Petri Canali Laici in Monasterio S. Crucis Fontis Avellanæ Ordinir S. Benedicti Congregationis Monachorum Camaldulensium, eique impertior omnes et singulas facultates mihi tributas, ita ut ea omnia peragere ipse possit in constructione dicti Processus, quæ Egomet vigore suprascripti mandati Procuræ peragere valerem, ac præsertim facultatem jurandi de calumnia, promittens ec. relevas ec. non solum ec. sed et omni alio meliori modo ec. In fidem ec. Romae hac die vigesima Januarii millesimo octingentesimo vigesimosexto

§. 2. *Substitutio Postulatoris pro Processu Calliensi.*

§. 3. *Nomen Postulatoris*

§. 4. *Facultas jurandi.*

Joseph Maria Mautone Postulator eligo et substituo ut supra

sequitur legalitas.

NUCERINA PAGANORUM

Canonizationis Beati Alphonsi Mariæ de Ligorio Fundatoris Congregationis SSmi Redemptoris ac olim Episcopi S. Agathæ Gothorum.

Num. 10. Decretum prorogationis termini. *Proc. fol.* 251. *ter*

Expeditis jam a Sacrorum Rituum Congregatione Literis Remissorialibus et Compulsorialibus, iisque directis Rmo Episcopo Calliensi ad effectum construendi Processum Apostolicum super asserto Miraculo a Deo Optimo maximo intercedente B. Alphonso Maria de Ligorio patrato favore Fr. Petri Canali Laici Professi Ordinis Benedicti Congr. Camaldulensium in Monasterio Fontis Avellanae: licet iisdem in Literis præstitutus fuerit unius anni terminus a die literarum hujusmodi exhibitionis inchoandus ad prædictum processum absolvendum, tamen postquam sub die vigesimaseptima Februarii millesimi octingentesimi vigesimisexti exhibitae fuerunt Delegatis Judicibus recensitæ Literæ, Processus haud prius publicari potuit, quam die vigesimaseptima Martii hujus anni mense scilicet jam elapso a præscripto anni termino. Quum vero

adhuc conficiendus supersit transumptus ejusdem Processus transmittendus ad Urbem, nec non collatio ejuscum anthographo, ac demum acta clausuræ: hinc Reverendus Pater Joseph Maria Mautone Procurator Generalis Congr. SSmi Redemptoris causæque praedictae Postulator humillime SSmum Dominum Nostrum Leonem duodecimum Pontificem Maximum rogavit, ut sanando omnes, et quoscumque defectus actorum, quae gesta fuerunt, elapso jam termino in Apostolicis Literis designato, eumdem terminum prorogare dignaretur ad alios tres Menses a dia præsentationis hujus inchoandos ad acta omnia exequenda, et absolvenda, quæ memoratis in literrs Remissorialibus Judicibus Delegatis demandata fuere Sanctitas Sua ad mei infrascripti Sacrorum Rituum Congregationis Secretarii relationem benigne annuit quoad utramque gratiam juxta preces contrariis non obstantibus quibuscumque. Die secunda Martii millesimi octingentesimi vigesimiseptimi

§. 1. rorogatio termini l alios menses tres sanatio actorum ltrà terminum.

Pro Emo D. Card. de Somalia Præfecto
I. F. Card. Falzacappa.
I. G. Fatati S. R. C. Secretarius
Loco ✠ Sigilli

Num. 11. 'abella Testium

TABELLA TESTIUM

Num.	*Nomen, Cognomen Ætas*	*Inductio*	*Citatio*	*Juramentum*	*Examen*
1	Excel. D. Aloysius VerzoliniChirurgus CastriSerræS.Abundi ann. 70. *Proc. f. 57. t.*	Die 6. Junii 1826. *Pr. f. 41. et 46.*	Die 12. Julii 1826. *Proc. fol. 48. t.*	Die 13. Julii 1826. *Proc. fol. 51. ter.*	Die 14. Julii 1826. *Proc: fol. 57. ter.*
2	Adm. R. P. Joannes Gualbertus Amati Lector et Cancellarius Congr. Camald. in Monasterio Fontis Avellanæ annor. 52. circ. *Pr. f. 85. t.*	Die dicta *Proc. fol. 46.*	Die 18. Julii 1826. *Proc. fol. 74. ter.*	Die 19. Julii 1826. *Proc. fol. 78*	Die 20. Julii 1826. *Proc. fol. 85. ter.*

Num.	Nomen Cognomen Ætas	Inductio	Citatio	Juramentum	Examen
3	Fr. Marinus Mauri Laicus Prof. Congr. Camald. annor. 57.	Die 16. Junii 1826.	Die 12. Julii 1826.	Die 13 Julii 1826.	Die 21. Julii 1826.
	Pr. f. 103.	Proc. fol. 46.	Proc. fol. 74. ter.	Proc. fol. 78. ter.	Proc. fol. 102. ter.
4	Adm. R. P. Rainerius Viola Lector Congr. Camald. annor. 37.	Die dicta	Die 12. Octobris 1826.	Die 13. Octobris 1826.	Die 14. Octobris 1826.
	Proc. f. 129.	Proc. fol. 46.	Proc. fol. 119. ter.	Proc. fol. 123.	Proc. fol 129.
5	Fr. Prtrus Canali Laicus Prof. Congregationis annor. 54.	Die dicta	Die 23. Octobr. 1826	Die 24. Octobr. 1824	Die 24. Octobr. 1826
	Proc. fol. 154	Proc. fol. 46.	Proc. fol. 144.	Proc. fol. 147.	Proc. fol. 152.
6 ex Offic	Adm. R. D. Franciscus Geronzi Parochus Frontoni Diœc Callien. ann. 51.	Die 26. Octobr. 1836	Die 23. Februarii 1827	Die 24. Februarii 1827	Die 26. Februarii 1827
	Proc. fol. 206 ter.	Proc. fol. 183.	Proc. fol. 196.	Proc. fol. 199. ter.	Proc. fol. 206. ter.

NUM.	*Nomen; cognomen, ætas*	*Inductio*	*Citatio*	*Juramentum*	*Examen*
7 *exOffic*	Adm. R. D. Aloysius Torri Parochus Magliani Diæces. Callien. ann. 57. *Proc. fol.* 218.	Die 26. Februarii 1826 *Proc. fol.* 183.	Die 23 Februarii 1827 *Proc. fol.* 196.	Die 24. Februarii 1827 *Proc. fol.* 199.	Die Pma Martii 1827 *Proc. fol.* 215.
	DE PROCESSU ROMÆ CONSTRUCTO Additionali Calliensi				
8	Rmus P. Abbas D. Venantius Carmas si Congreg. Camal dul. ann' 61. cir. *Proc. fol.* 17.	Die 29. Januarii 1827 *Process. Rom. f.* 4.	Die 29. Januarii 1827 *Process. Rom. f.* 5.	Die 30. Januarii 1827 *Process. Rom. fol.* 15. *ter.*	Die 30. Januarii 2827 *Process. Rom. fol.* 17.

Emi et Rmi Patres

Num. 12. Epistola Judicum Delegat. ad S. R. Congreg. *Proc. f. 3. t. et seq.*

Eminentiarum Vestrarum mandatis in confectione Processus super Miraculo quod Deus Optimus Maximus patrare dignatus est in Monasterio S. Crucis Fontis Avellanæ Ordinis S. Benedicti Congregationis Camaldulensium intercessione B. Alphonsi Mariæ De Ligorio Fundatoris Congregationis SSmi Redemptoris, et Episcopi S. Agathæ Gothorum, eo quo par est, studio, diligentia, sedulitate respondere, satisque facere sategimus. Si id cumulate haud assequuti fuimus, non negligentiæ, sed inusitati negocii naturæ, ut tribuatur oramus. Quod testari certò possumus illud est, Testes omnes tam a Causæ Postulatore inductos, quam a nobis ex officio vocatos, morum probitate, integritate, pietate, atque prudentia adeo esse præditos, ut eorum quisque omni exceptatione major sit habendus, eorumque depositiones certam, et indubiam fidem in judicio promereri nullatenus sit dubitandum. Quilibet enim ipsorum coram nobis, et Dominis Sub-Promotoribus consitutus nulla mentis dubietate, nullaque animi perplexitate, nullo denique nimiæ affectionis, vel adversionis signo, sed veritatis amore reponsiones suas tam juxta Interrogatoria R. P. D. Promotoris Fidei, quam super Articulis distincte, et fideliter dedit, quin in deponendo aliquod dederint titubationis indicium. Hæc sunt, quæ Vobis, Emi et Rmi Patres, exponenda duximus. Reliquum superest, ut Nos vestrò patrocinio fovere, et prosequi dignemini, quemadmodum enixe deprecamur Sacræ Purpuræ fimbriam humillime deosculati.

§. 1. *Testium probitas et integritas*

Emidentiarum Vestrarum Reverendissimarum Humillimi Addictissimi Obsequentissim Famuli.

Carolus Episcopus Callien. et Pergulan. Judex Delegatus
Alexander Canonicus Theologus Guiducci Vicarius Generalis Judex Delegatus
Dominicus Præpositus Benincasa Judex Delegatus
Franciscus Canonicus Bufalini Judex Delegatus
Angelus Canonicus Federici Judex Delegatus
Aloysius Canonicus Valcelli Judex Delegatus
Callii die trigesimaprima Maii 1827.

Num. 12. Epistola Sub-Promotorum ad Promotorem Fidei *Proc. f. 4. t. et seq*

Illme et Rme Domine

Munus, quod Nobis dignatus es committere comparendi tua vice, et nomine in constructione Processus in Civitate, et Diæcesi Callien super Miraculo a Deo Optimo Maximo patrato in Monasterio S. Crucis Fontis Avellanæ Ordinis S. Benedicti Congregationis Camaldulensium ad intercessionem B. Alphonsi Mariæ De Ligorio Fundatoris Congregationis SSmi Redemptoris, et Episcopi S. Agatæ Gothorum, ea qua Nobis datum fuit, diligentia, et religione obire non prætermisimus; singulis enim Sessioni-

bus

§. 1.
Remissorialium forma in omnibus servata.

bus Nostrum alter semper interfuit, cui religio fuit diligenter animadvertere, atque satagere, ut Sacræ Congregationis Literarum jussa, et Apostolica Decreta debitæ exequutioni mandarentur, Testesque nonnisi citati, juratique, prius super Interrogetoriis a Te datis, deinde super Articulis examinarentur. Præter Testes a Postulatore inductos, alios, uti in mandatis habimus, ex officio nominavimus, et examinari curavimus. Expletis examinibus Testium, Peritos a Judicibuseligi studuimus, qui sanati præsentem valetudinis statumrecognoscerent. Te autem certiorem facere debemus; Testes omnes in hoc Processu, sive a Postulatore, sive a Nobis inductos omni fide dignos haberi, et in eorum examine, nihil omnino, quod in re tanti momenti necessarium videbatur, fuisse prætermissum. Si inter hæc aliquid minus accurate gestum reperias, exiguitati ingenii, et experientiæ tribuas, indulgeasque. Hac spe freti debita veneratione et obsequio protestamur.

§. 2.
Periti ad reconoscendam perseverantiam miræ Sanationis.

Daminationis Tuæ Illustrissimæ et Reverendissimæ
Humillimi Obseqnentissimi Famuli.
Frater Antonius Maria Vitali Sacræ Theologiæ; et in Provincia Magister Ordinis Prædicatorum Sub-Promotor Fidei Delegatus.
Camillus Felici Giunchi Promotor Fiscalis Sanctæ Fidei Sub-Promotor
Callii trigesimoprima Maii 1827.

DE PROCESSU ADDITIONALI ROMÆ CONSTRUCTO

Num. 14.
Facultas conficiendi Processum absque Juris solemniis *Proc. Rom. fol. 7.*

Nucerina Paganorum

Canonizationis B. Alphonsi Mariæ De Ligorio Institutoris Congregationis SSmi Redemptoris, ac olim Episcopi S. Agathæ Gothorum.

§. 1.
Alter ex Calliensibus Testibus Romæ degens.

§. 2.
Facultas examinanandi Testem et Contestes in Urbe absque Juris solemniis.

Expeditis jam sub die sexta Decembris transacti Anni millesimi octingentesimi vigesimiquinti Literis Remissorialibus ad construendum Processum super Miraculo a Deo patrato ad Beati Alphonsi Mariæ De Ligorio intercesionem favore Fr. Petri Canali Laiei Professi Congregationis Camaldulensis in Monasterio Fontis Avellanæ iam plures Testes examini subjecti sunt, paucique alii supersunt examinandi, ut Acta absolvantur. Quoniam vero inter Testes de hujusmodi Miraculo conscius recensetur etiam P. Abbas Carmassi ejusdem Congregationis Camaldulensis Miraculi tempore Abbas Monasterii Fontis Avellanæ, modo vero Romæ degens, idcirco ne Miraculi probationi integritas desit, humillimas SSmo Domino Nostro Leoni XII. Pont. Maximo preces porrexit Pater D. Joseph Maria Mautone Presbyter ejusdem Congregationis, ac recensitæ Causæ Postulator ut dignetur facultatem impertiri Revdo. P. Promotori Fidei examinandi præfatum P. Abatem Car-

Carmassi, et Contestes Romæ degentes, si qui ab eo forte inducantur, absque juris solemniis super eodem Miracul per acta Notarii, et Cancellarii Congregationisi Sacrorum Rituum cum eisdem Articulis, et Interrogatoriis jam datis primo construendo Processu Calliensi. Sanctitas Sua ad mei infrascripti Sacrorum Rituum Congregationis Secretarii relationem benigne annuit juxta preces, hac tamen adjecta lege, quod ejusmodi examen, sive, examina clausa retineantur in Actis Cancellariæ Sacrorum Rituum, donec transmittatur ad Urbem Transumptus memorati Processus Calliensis ut una cum eodem Processu Postulatori comunicentur. Contrariis non obstantibus. Die nona Decembris millesimi octingentesimi Vigesimisexti

Julius Maria Cardinalis Episcopus Ostiensis ac Velitrensis della Somaglia S. E. Vice-Cancellarius et S. R. C. Præfectus etc.

Loco ✠ Sigilli

Joseph Gaspar Fatati Sacrorum Rituum Congregationis Secretarius Coadiutor.

R E V I S A

A. Gardellini Sub-Promotor Fidei

And. Mar. Frattini Sub-Prom. Fidei Coad.
Jos. Gaspar Fatati S. R. C. Secret.

NUCERINA PAGANORUM

Canonizationis

B. ALPHONSI MARIÆ

DE LIGORIO

Fundatoris Congregationis SSmi Redemptoris, ac olim Episcopi S. Agathae Gothorum.

ANIMADVERSIONES

R. P. D. PROMOTORIS FIDEI

SUPER DUBIO

An constet de validitate Processuum Apostolica Auctoritate constructorum in Civitatibus, et Diœcesibus Catacensi et Calliensi super miraculis post indultam eidem Beato venerationem, ac Testes sint ritè, et rectè examinati in casu, et ad effectum, de quo agitur.

Eme, et Rme Domine

1 De miraculis, quæ a D. O. M. patrata feruntur, Deprecatore B. Alphonso Maria de Ligorio Fundatore Congregationis SSmi Redemptoris, ac olim Episcopo Sanctæ Agathæ Gothorum post eidem indultam ab Apostolica Sede venerationem; duo constructi fuerunt Processus ope remissorialium ad hoc opus a S. R. C. expeditarum. Horum alter ornatus fuit in Diœcesi Catacensi, alius in Calliensi. De horum validitate in hodierno ordinario Conventu quærendum est *vobis Iudicibus*, *Emi Patres*, quin intersint votumque ferant Consultores, idque ex Apostolica dispensatione, quæ legitur in *Summ. pag.* 1. *num.* 1.

De

2 Primum ordine veniunt Acta in Diæcesi Catacensi vigore Literarum Remissorialium a Sac. Rit. Congregat. expeditarum ad inquirenda documenta, testesque rogandos super altera ex sanationibus, quæ acceptæ referuntur, invocato præsidio, ac intercessione adhibita præfati B. Alphonsi Mariæ de Ligorio. De validitate Actorum, ut dicam, in iis expendendis nihil mihi occurrisse libenter fateor, quod eadem vitiet, aut infirmet. Omnia quippe gesta fuisse comperi, servata earumdem Literarum forma, adhibitisque conditionibus in iisdem enumeratis, et expressis. Unum dumtaxat reperi forte notandum, quod tamen Judicum culpæ minime vertendum esse reor. Testes fere omnes sub unica Sessione examen explerunt, si tres excipias, qui iteratò coram Judicibus steterunt, ut suum examen absolverent; et omnes æque initio examinis reiterarunt juramentum, quod jam ante præstiterant, ut ex Remissorialium præscripto fieri debet. At tres illi, quorum supra memini, videlicet *III. Proces. fol.* 90. *IV. Proces. fol.* 101. *et VII. Proc. fol.* 122., quamvis in prima Sessione initio examinis juramentum reiterassent, in secunda respectivi examinis Sessione illud repetere omiserunt. Dixi, forte non id culpæ vertendum; puto namque, nec perperam, Judices existimasse sufficere reiterationem juramenti initio examinis, quin necesse esset item Sacramentum repetere in subsequente Sessione habita pro examinis complemento.

3 Ad ritualitatem examinum quod attinet, ritè Testes rogatos fuisse non inficior; verumtamen adeo steriles sunt depositiones, ut vix summis labiis testes respondisse videantur. Sed de hoc non sum modo solicitus; ratio exceptionis habenda erit in suo congruo judicio, si de asserto miraculo disputandum erit.

De Processu Apostolico Calliensi.

4 Aeque ac de Catacensi, dicam etiam de Inquisitione Calliensi. Agnovi namque solemnitates omnes servatas fuisse, quæ in Remissorialibus Literis enumeratæ sunt. Nihilominus unum notandum, quod non respicit acta Processus, sed ejusdem Transumptum Romam transmissum. Etenim non video, cur nam in eodem Transumpto exscriptæ non fuerint Literæ Remissoriales, ad quarum normam Acta omnia erant exigenda. Video sed tamen Postulatores diligentissimos huic defectui occurrisse, mihi exhibendo earumdem Transumptum extractum ex Matrice servata in Actis Cancellariæ S. R. C. Omnis igitur, ad hujusmodi defectum quod attinet, cessat difficultas; Expensisque, rursus dicam, actis, nihil præterea in ipsis, ac in examine præsertim Testium occurrere, quod excipiendi mihi præbeat facultatem.

5 Extrajudicialia jura quædam in Processu compulsata leguntur, quæ aut relativa sunt ad Testes, qui aut absentes aut impotes ad

ad examen accedere nequiverant, aut excerpta ex invalido quodam Processiculo, qui non multo post mirabilem eventum confectus dicitur ab tunc temporis Calliensi Episcopo. De iis modo non quæro; discutienda, si opus fuerit, res erit dum disputatio instituetur de relevantia, et substantia Miraculi.

6 Unus erat Testis, videlicet Revmus P. Abbas D. Venantius Carmassi Congregationis Monachorum Camaldulensium, qui cum Romæ commoraretur, nequibat testimonium dicere coram Judicibus Calliensibus. Sed quoniam hujusmodi testis examen omittendum haud erat, ideo ex Pontificia facultate mihi impertita eumdem rogavi per Acta Notarii Sac. Rit. Congregationis, ut ex documento relat. *in Sum. pag. 46. et 47. num. 14.* Ex hujus autem Testimonio illud inter cætera didici = *che pochi giorni dall' esser questo accaduto* (assertum miraculum) *non so se mosso dalla fama del medesimo, o da altro motivo portossi al Monastero dell' Avellana il dì chiar. mem. Monsignor D. Alfonso Cingoli Vescovo di Cagli*, qui, auditis nimirum tam Religioso sanato, quam,qui eum curaverant,Medicinæ Professoribus, *volle prenderne una sommaria informazione, senza però le consuete forme giudiziali, detto Som. ibid.*

7 His ergo auditis necesse fuit; ut Notario Sacr. Rit. Congregationis mandaretur, ut adiret Causæ Postulatorem ad effectum ut is exhiberet informationem ejusdem bo: me. Rmi Episcopi Calliensis; habuitque responsum, quod non aliud apud se ipse habet, nisi Exemplar, seu copiam simplicem sine ulla subscriptione aut legalitate munitam, quoniam Authographum, seu Originale extare debet (ita Postulator) in actis Processus, qui modo conficitur in Diæcesi Calliensi super asserto Miraculo = , *ut in additione ad Proces. fol. 29. et fol. 32.* = Quid tamen? Nimirum hujusmodi extrajudicialis informatio seu informis et illegalis Processiculus in Transumpto Calliensis ProcessusRomam transmisso, omnino desideratur. Quamobrem Causæ Postulator curet, ut fiat, quod omissum est; mihique documentum hujusmodi, quamvis illegale tradatur; quia licet ejusdem defectus Processus validitati non officiat, aliquid tamen continere potest, quod valeat ad excipiendum, si de Miraculi substantia quæstio sit instituenda.

Quæ dicta sint sub censura etc. salvo etc.

V. Pescetelli S. Fidei Promotor

NUCERINA PAGANORUM

Canonizationis

B. ALPHONSI MARIÆ

DE LIGORIO

Fundatoris Congregationis SSmi Redemptoris ac olim Episcopi S. Agathae Gothorum.

RESPONSIO

AD

ANIMADVERSIONES

R. P. D. PROMOTORIS FIDEI

SUPER DUBIO

An constet de validitate Processuum Apostolica Auctoritate constructorum tam in Civitatibus et Dioecesibus Catacensi et Calliensi, quam in Urbe super Miraculis post indultam eidem Beato venerationem, ac testes sint rite ac recte examinati in casu et ad effectum de quo agitur?

Eme et Rme Domine.

1. Gloriosus in Sanctis suis Dominus et in majestate mirabilis, qui, ut Davidicis verbis utar, speciose mirificat Sanctos suos, post publicam ab Apostolica Sede B. ALPHONSO MARIÆ DE LIGORIO inclytæ Congregationis SS. Redemptoris Institutori, sacroque Agathensi Antistiti decretam Veneratione m, quamplura potenti manu excelsoque brachio operatus est ipso impetrante miracula, quæ quidem lingua sua, quam Au-

gn-

gustinus eloquentissimam vocat (*in Joan. cap. 6. tract. 24. cap. 2. et de civit. Dei lib. 27. cap. 28.*) ejusdem B. Alphonsi Mariæ Sanctitatem satis superque declarant.

2. At quoniam inter cætera de binis ejusmodi prodigiis judiciales Inquisitiones constructæ fuere, altera in Catacensi Diœcesi, altera in Calliensi, cui Additionalis Processus RomæConstructus accessit; hinc veteri more institutoque Majorum eorumdem primum Processuum validitas discutienda venit. Verum inutilis frustraque susceptus noster videretur labor, propterea quod accuratissimus Fidei Promotor de Catacensi Processu agens candide protestatur = *De validitate Actorum ut dicam, in iis expendendis nihil mihi occurrisse libenter fateor quod eamdem vitiet aut infirmet. Omnia quippe gesta fuisse comperi servata Litterarum forma adhibitisque conditionibus in iisdem numeratis et expressis.* = Et de Processu Calliensi = *Æque de Catacensi dicam etiam de Inquisitione Calliensi. Agnovi namque solemnitates omnes servatas fuisse quæ in Remissorialibus Litteris enumeratæ sunt.* = Post tanti Viri patrocinium ingenuamque protestationem ne hiscere quidem debuissem. Verum lucidum ejus dicendi ordinem secutus de utrisque Inquisitionibus aliqua tantum delibo.

De Processu Apostolico Catacensi

3 Postquam Censor ornatissimus huiusce Inquisitionis validitatem in tuto posuerat, in ipsa qua versabatur objicendi inopia illud unum vix obiter excipit, quod tamen addit *Judicum culpæ minime vertendum*, Testes fere omnes sub unica Sessione explevisse examen, si tres excipias qui iterato coram Judicibus stetere ut suum examen absolverent. Quid istud vitii est? Anne unquam in Remissorialibus Litteris sancitum legitur ne Testes unica in sessione suum examen absolvant? Alii enim laconico potius quam asiatico sermone sensus suos apertissime exponunt; quod quidem magis quam de Testibus, de eo potius qui Testium depositiones Notario dictavit dicendum est.

4 Quamquam vero Censor ingenuus ultro concedat præfatos Testes qui unica Sessione expleverunt examen, in ejus initio juxta Remissorialium formam jam antea præstitum juramentum reiterasse; objicit tamen ex iisdem tres, videlicet III. IV. et VII. reiterasse quidem juramentum antea præstitum in prima Sessione examinis, non vero in secunda. Objecti tamen inanitatem pro sua sapientia idem ipse fatetur Censor cum addit existimasse Judices sufficere reiterationem juramenti initio examinis, quin necesse esset illud repetere in subsequenti sessione, qua examen absolvebatur = *Animad §. 4. in fin.* = Et scite quidem. In Remissorialibus siquidem illud unum præscribitur, quod Testes juramentum præstent *Sum. pag. 10. circa fin.* = ibi = *RECEPTO PRIUS in manibus Judicum præsentium Litterarum exequutorum AB EISDEM TESTIBUS etc. JURAMENTO* = quin necesse sit vel ullomodo

do præscriptum, quod iidem in unaquaque Sessione præstitum jam juramentum repetant, quemadmodum docet Benedictus XIV. *lib.* 2. *Cap.* 48. *num.* 11. = ibi = *Quid autem dicendum erit si Testis qui juravit non absolvit examen? Teneturne iterum jurare quando examen resumitur? de stricto Juris rigore loquendo NON EST JURAMENTI ITERATIO NECESSARIA, nisi in casu in quo Testis producatur super novis Articulis, ad quos præcedens juramentm non extenditur, ut monet Abbas* in Cap. Fraternitatis num. 1. de Testibus; *vel nisi magna temporis intercapedo inter primam et secundam depositionem intercessisset etc. quas limitationes in ipso rei eventu Congregatio Sacrorum Rituum sequuta est in Causa etc.*

5 Horum neutrum nostro in casu concurrit. Objecti enim Testes III. IV. et VII. in secunda sessione haud producti fuere super novis articulis, sed super eisdem Interrogatoriis quæ suspensa remanserant in præcedenti sessione; ceu quoad testem III. legitur *Proc. f.* 89. *ter. exadv. cit.* = ubi = *Deinde ob tarditatem horæ dimissum fuit examen animo ILLUD CONTINUANDI die vigesima tertia currentis mensis Octobris.* Et in secunda Sessione habita prædicta die *Proc. fol.* 90. *ter. exadv. cit.* legitur: *Continuatum fuit examen et aperto obsignato volumine seu involucro PRÆCEDENTIUM examinum et INTERROGATORIORUM prosequuta suntInterrogatoria.* Quæ verba item leguntur in secundo examine Testis IV. *Proc. fol.* 101. *exadv. cit.* = ibi = *Continuatum fuit examen supradicti Antonii et aperto obsignato volumine seu involucroPRÆCEDENTIUM examinum ET INTERROGATORIORUM PROSEQUUTA SUNT INTERROGATORIA Ad decimum septimum respondens ec.* Et tandem quoad Testem VII. *Proc. fol.* 122. exadv. cit. *CONTINUATUM FUIT EXAMEN supradictæ Testis ec. et aperto obsignato volumine PRÆCEDENTIUM examinum et INTERROGATORIORUM inceptæ sunt interrogationes SUPER ARTICULIS.*

6 Neque magna temporis intercapedo inter primam, et secundam depositionem intercessit. Nam Testis III. primam suam depositionem emisit *die* 21. *Octobris* 1826. secundam biduo post, scilicet die 23. ejusdem mensis: *Proc. Catacen. fol.* 90. *exad' cit.* Testis IV. primum ad examen accessit die 24. præfati Octobris atque illud postridie absolvit, scilicet die 27. ejusdem mensis *Proc. fol.* 101. *exadv. cit.* = Testis tandem VII. primum examen subiit die 30. Octobris illudque *postero die* 31: continuavit atque complevit. *Proc. fol.* 122. *exadv. cit.* Cum ergo neutra ex limitationibus a Lambertinio allata concurrerit, vel quod ii Testes inducti fuerint super novis Articulis, vel quod magna temporis intercapedo inter utramque depositionem intercesserit, cum eodem Pontifice concludendum est juramenti reiterationem in qualibet sessione necessariam non esse.

7 Testes autem rite recteque fuisse examinatos Actorum historia jam in *Informatione* relata apertissime ostendit, et doctus ip-

se Censor concedit. *Animad:* §. 4. = qui tantumodo dolet steriles esse Testium depositiones. Quoniam vero ipse monat de iisdem non in hodierno Judicio, sed in congruo de Miraculo habendam esse rationem; ita et nos monemus eo in judicio inquirendum futurum, non jam an Testium depositiones sint steriles, vel prolixæ, sed an ex eisdem, non quidem singulis licet numero plurimis (sunt enim XXIII. *Sum. n. 4. per tot.*) sed ex omnibus simul junctis plena Miraculi probatio coalescat.

De Processu Apostolico Calliensi.

8 De Validitate hujus etiam Inquisitionis nihil sibi excipiendum occurrisse Animadversor ergregius protestatus est; quod quidem in maximam laudem vertit Amplissimi Calliensis Antistitis *Caroli Monti*, aliorumque Conjudicum. Ad illius autem Processus Transumptum oratione conversa quærit, curnam in eodem inscriptæ non fuerint Litteræ Remissoriales? *Animad.* §. 4. = Interrogationi respondemus, non ex Remissorialium exemplo, sed ex Actis ipsis probandam esse Judicum jurisdictionem, ut *in Cap. Quamvis de Off. Delegati in 6. in fin.* et Glossa eod. *verbo usus* = Hostien. *in Cap. licet de Offic. delegat. num.* 2. Menoch. *lib.* 2. *Præsumpt.* 18. *Tract.* 2. = *ibi* = *Cum EX ACTIS IPSIS CONSTARE potest QUA POTESTATE, ET JURISDICTIONE usus sit, HOC IN CASU RES CLARA EST; ob id opus non est confugere ad conjecturas, quæ in claris cessant* = Leg. ille aut ille §. Cum in verb. de Legat. 3. *SI ergo ACTA SIGNIFICANT PROCESSISSE UT DELEGATUM DELEGATUS HABENDUS ERIT; ita docuit* Abbas in Cap. Cum ex officio; *ibid. Felin. Col.* 13. *aliquæ omnes*; Et Rota in Recent. part. 2. *Dec.* 128. *num.* 6. = *ibi* = *JURISDICTIO APPARET EX ACTIS, PROCESSIBUS, et Sententiis judicialibus* = Et part. 4. *Tom.* 2. *dec.* 368. *num.* 9. = Idque ratio ipsa suadet. Si enim quid alteri per epistolam committimus, non quidem ab ipsius epistolæ exemplo ad nos remisso, sed ab effectu, mandatique executione nos factos voti compotes intelligimus.

9 Hacce ratione ducti non modo in Summarii tabulas retulimus Remissorialium exemplum ex actis Cancellariæ SS. Rituum erutum, quo uno, ipse Censor inquit *omnis ad hujusmodi defectum quod attinet cessat difficultas* = Animad. cit. §. 4. = verum etiam, quod potissimum in Jure est, ipsum *Actum præsentationis, et receptionis LL. Remissorialium* integre legendum *in Sum. Num. 8. a pag. 32. in fin. ad pag. 40. init.* In eo quippe legimus exhibitum fuisse primum Rmo Episcopo Calliensi, ejusque Vicario Generali, deinde etiam aliis Conjudicibus Remissorialium plicum; eorum jussu exscriptam externam illarum inscriptionem; legalem ipsius plici recognitionem, aperitionem, et lecturam; acceptatam a Judicibus jurisdictionem; inventum in eisdem Litteris Interrogatoriorum pli-
cum-

cum, eorumdemque exemplatum tenorem; præstita juramenta; alterius etiam plici receptionem Epistolæ R. P. D. Promomotoris ad Sub-Promotores inscriptæ, ejusque exemplum in Actis. Quid plura? Hæc profecto sunt legitima, indubia, certa, atque directa Remissorialium receptionis, et delegationis a Judicibus acceptatæ monumenta et authentica testimonia.

10 Quum vero aliqui ex Testibus ad examen vocandi vel morte præventi, vel mala valetudine præpediti, et longo itinerum locorumque intervallo Callio disjuncti, eo accedere nequibant; hinc summæ Judicum sapientiæ fuit in Acta referre authentica exempla illarum Attestationum, quas ipsi statim a Miraculo de illo emiserant coram cl. m. *Alphonso Cingari* Calliensi Antistite, de cujus doctrina, vitæque sanctitate nulla umquam ætas conticescet. De hujusmodi attestationibus cum egregius Censor tunc rationem habendam esse scribat cum de Miraculo disputabitur *Animad.* §. 5. omnis nobis dicendi facultas perempta est.

11 At quum sagacissimus Fidei Promotor de præfatis attestationibus mentionem factam intellexisset *a Rmo P. Abbate Venantio Carmassi* lectissimæ Congregationis Camaldulensium Pontificio indulto legendo *in Summar. num.* 14. *pag.* 46. *et* 47. Romæ examinato, qui dixerat laudatum Calliensem Episcopum Cingari Miraculi fama motum *volle prenderne una sommaria Informazione, senza però le consuete forme giudiziali* = Animad. §. 6. *in fin.* = narrat idem Fidei Promotor ejusmodi attestationum authographum a Postulatore requisivisse, responsumque ab eodem habuisse Callium fuisse missum ut referreretur in Acta; apud se servato informi tantummodo earum exemplo; cum vero sagacissimus idem Censor authographum illud in Actis compulsatum non reperiisset, Postulatorem monet, ut hujusmodi documentum, quod ipse *illegale* appellat, sibi tradatur, quia *licet ejus defectus Processus validitati non officiat*, valere tamen poterit ad excipiendum cum quæstio erit de Miraculo = *Animad.* §. 7. *in fin.*

12 Nobis igitur de Processus validitate dicentibus nihil disserendum occurrit de illarum attestationum defectu, qui Censore fatente *Processus validitati non officit*, cum satis notum sit cautum fuisse a V. Innocentio XI. *ne extrajudiciales attestationes inseri possint in Processibus tam Ordinaria, quam Apostolica auctoritate fabricandis* = verba sunt Benedicti XIV. *lib.* 2. *Cap.* 49. *num.* 21. *et* 22. Verum taciti præterire non possumus in hoc rerum eventu eximiam commendandam esse egregii Postulatoris religionem, qui earum attestationum autographum Callium misit in Acta inserendum, et Judicum sapientiam, qui ex eo authographo erui jusserunt attestationes dumtaxat illorum testium, qui ad examen nequibant accedere, non tamen aliorum, qui jam coram ipsis subierant examen, quum in Jure sancitum sit standum esse judiciali examini non vero extrajudiciali attestationi; uti præceteris docet Rota cor. Gregor. XV. *decis.* 194. *num.* 6. et in Recent.

dec.

dec. 360. *num.* 7. *part.* 14.; et in his Causis Benedictus XIV. *cit. lib.* 2. *cap.* 49. *num.* 21. *per tot.* Nihilo tamen minus cum res erit de Miraculo, attestationes illas a cl. me. Antistite *Alphonso Cingari* receptas Callioque remissas, non modo religiosissimo Promotori exhibebimus, sed in ipsas Summarii tabulas referemus. Licet enim earum collectio Processus dici non possit, sed *Sommaria informazione senza le consuete forme giudiziali* = Animad. §. 6. *in fin.* non ideo tamen appellanda *illegale documentum* = Animad. §. 7. = Hujusmodi quippe attestationes ab Episcopis ad perpetuam rei memoriam receptæ ad informandam Apostolicam Sedem, maximam habent in Jure auctoritatem; ceu præceteris ponderat Pignattellius *Consult.* 24.

13 Nil reliquum ergo restat, nisi ut Vos Eminentissimos Ecclesiæ Principes humilis supplexque orem, et obtester, ut utriusque Processus, de quibus agitur, Validitatem concordibus animis suffragiisque approbetis, quod etiam nomine totius Congregationis SS. Redemptoris *Rmus P. Joseph Maria Mautone* Procurator Generalis ejusdem, Causæque Postulator, novæ accessionis gloriæ B. Alphonsi Fundatoris, ac Parentis optimi studiosissimus, a Vobis implorat enixisque votis exposcit

Quare etc.

Hyacinthus Amicius Adv.
Angelus Picchioni

REVISA

A. Gardellini Sub-Promotor Fidei.